ROV. DIOC.
162
B
26.
NAZ.NAPOLI
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
26
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITVTIONES SYNODALES.

Digitized by Google

108
F
48
55

Digitized by Google

P—IIII·n·29

CONSTITVTIONES
SYNODALES


AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

FR. IOSEPHO A S. MARIA DE SEBASTIANIS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo
Ciuitatis Caſtelli,

Edita, & promulgatæ in Cathedrali eius Eccleſia S. FLORIDI
Die 7. 8. & 9. Nouembris, Anno Domini 1674.

S. Catt. a Jomello Neapol: 1739



ROMAE, Ex Typographia Philippi M. Mancini, Anno Iubilæi 1675.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſucchius Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ord. Prædic.

Digitized by Google

F. IOSEPH A S. MARIA
DE SEBASTIANIS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Ciuitatis Caſtelli,

Dilectiſſimo Clero, & Populo ſibi commiſſo in Domino Salutem.

SERÒ prodeunt in lucem hæc Synodalia noſtra Decreta, quia diù perpendi debuere, ne quid temerè ſancitum videretur. Decerpſimus quidem ea ex antiquorum Canonum, Summorum Pontificum, Sacrarum Congregationum, & doctiſſimorum Præſulum, etiam Purpuratorum, placitis: ſed, quia nonnullos id fortè latebat, opus fuit, eadem Decreta, quæ antea vnanimis Conſultorum Synodalium, & ſubindè totius Cleri aſſenſus probarat, etiam Eminentiſsimorum Dominorum Cardinalium Sac. Conc. Tridentini Interpretum prudentiſſimo examini, vel ſpontè ſubijcere: Quorum tandem ſapientiſsima, benigniſſimaque cenſura firmiores nacta ſunt vires. Quidni ergo huiuſmodi le-

di leges vos amplecti conueniat , quas , non ipſi condidimus , ſed collegimus ? Quas Deus tamdiù differri mirè diſpoſuit , donec ſtabiliores conſiſterent ? Ea demum auctoritate, quâ hæc nos Decreta ſanciuimus, ipſa obſeruari mandamus . Qui dixerat : Oues meæ vocem meam audiunt ; ipſe quoque ad Paſtores ait : Qui vos audit , me audit . Nos Paſtor (licet immeritò) vos oues eſtis; noſtra verba in his Conſtitutionibus audite ; noſtra Paſcua in his legibus edite. Si vultis ad vitam ingredi(Chriſtus loquitur) SERVATE MANDATA.

DECRE-

Digitized by Google

DECRETA SYNODALIA In Ciuitate Caſtelli, & eius Diœceſi obſeruanda.

In Nomine Sanctiſſimæ, ac Induiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS FR. IOSEPH A SANCTA MARIA de Sebaſtianis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Ciuitatis Caſtelli, ſequentes Conſtitutiones Synodales ſancimus, decernimus, ſtatuimus, & promulgamus.

CAPVT PRIMVM.

De Fide Catholica, eiuſque Doctrina, & Profeſſione.

CVM vltimus finis Eccleſiaſticarum legũ ſit, per earum obſeruantiam promouere Dei cultum, & Animas ad æternam ſalutem dirigere; primum, quod à Noſtræ curæ ſubiectis exigimus, eſt, vt quæ Fides Catholica docet, firmiter credant, eiuſque Myſteria, quę debent explicitè ſciri, expreſsè profiteantur. Quapropter omnibus, & ſingulis Curatis, quocumque nomine nuncupentur, diſtrictè præcipimus, vt Doctrinam Chriſtianam ſuarum Eccleſiarum Pueros diebus Domi-

Digitized by Google

Dominicis diligentiſſimè doceant; ità vt à nemine ignorari contingat: capiant propterea tempus opportunum ad eos docendos, ſiuè à prandio, ſiuè in Miſſa, vel cumante, ſeu poſt ipſam, prout eos adunare facilius poterint. Qui ſecus fecerit, & in hoc negligens, vel per menſem repertus fuerit, grauiter, iuxta maiorem, vel minorem contumaciam punietur. Si verò per eos non ſteterit; ſed Parentum, vel Tutorum incuria Pueri, dato ſigno, ad rudimenta fidei perdiſcenda non iuerint, dicti Parentes, ſeu Tutores à nullo Confeſſario abſoluantur, niſi expreſſè promiſerint, ſe deinceps in hac re diligentes futuros; neque ſic abſoluantur ſine graui aliqua pœnitentia, iuxta maiorem, vel minorem incuriam; ſed ſi poſtmodum promiſſa non obſeruauerint, amplius abſolui non poſſint, donec cum effectu conſtiterit, eos omnem diligentiam adhibuiſſe, vt eorum Pueri ad præfatam Doctrinam perdiſcendam accederent. Quoad Parochos Ciuitatis ſeruetur ſolitum ſub eadem pęna; & eodem modo ſe gerant Confeſſarij cum contumacibus.

2. Huius orthodoxæ Fidei Profeſſionem prædicti Curati ad minus infra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis ſuorum Beneficiorum in manibus noſtris, vel noſtri Vicarij Generalis facere teneantur, ſub pœna priuationis fructuum dictorum Beneficiorum, quos ipſorum Eccleſijs applicamus. Præpoſitus autem, & Canonici, tàm noſtræ Cathedralis, quàm Collegiatæ Montoni, non ſolum eam emittant, vt ſupra, ſed etiam infra idem tempus, in ipſo Canonicorum Capitulo.

3. Fidei profeſſionem teneantur ſub eadem pœna etiam facere, quicumque in hac noſtra Ciuitate, vel Diœceſi ſcientiam, vel doctrinam aliquam, ſeu humaniores litteras, vel Grammaticam docere voluerint; & hoc in manibus noſtris, vel noſtri Vicarij Generalis, antequam huiuſmodi munus incipiant; & qui modo eas docent, ſi dictam profeſſionem hactenus non emiſerint, illam infra

menſem

menſem dicto modo facere teneantur; ſub pœna decem aureorum Pijs Locis noſtro arbitrio applicandorum, quod ſemper intelligi volumus, quoties in his Conſtitutionibus mulcta pecuniarum fuerit impoſita.

4. Nomina verò quorumcumq; Profitentium, vt ſupra, per noſtros Cancellarios in libro penes Archiuium Epiſcopale aſſeruando, cum cauſa, loco, anno, die, ac duobus, vel tribus Teſtibus ad perpetuam rei memoriam deſcribi mandamus.

5. Laicis, exceptis Theologis, de rebus fidei, ſub pœna excommunicationis publicè, vel priuatè diſputare non audeant, vel Sacram Scripturam exponere, vel Verbum Dei prædicare. Ad prophanos ſenſus diuinas ſententias nemo detorqueat, vel eis ad ludicra, vel iniurias abutatur. A prohibitorum librorum lectione omnes abſtineant, ſub pœnis in eorum indice contentis; & Parochi diligenter inueſtigent, num Egyptij, ſeu Zingari, qui fines ſuarum Eccleſiarum aliquando ingrediuntur, Apoſtolicis Conſtitutionibus obediant, vel præſtigijs, ſortilegijs, vaniſque diuinationibus rudes decipiant; & quos culpabiles fortè repererint, noſtræ Curiæ indicabunt.

CAPVT II.

De Hæreticis, & Iudæis.

1. MOnemus omnes, & ſingulos, etiam quacumq; dignitate fulgentes, vt quam primum ſciuerint aliquem eſſe de hæreſi quoquo modo ſuſpectum, Sacramentis, vel Sacramentalibus abutentem, à Fide Apoſtatam; in Confeſſionibus ad turpia ſollicitantem, ſtatim omnino denuncient, iuxta Bullam Gregorij XV. Quod ſi facere neglexerint, excommunicationem latæ ſenten-

tiæ, & alias cenſuras, vt in Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Sanctí Officij, ſe nouerint incurriſſe.

2. Curati omnes initio Aduentus, & Quadrageſimę Populo declarent, cunctos fideles teneri ad huiuſmodi denunciationem faciendam, vel Nobis, vel Officialibus Sanctæ Inquiſitionis, ſub pœnis vt ſupra; & renuentes, vel contrafacientes abſolui non poſſe, donec obtemperauerint.

3. Nullus cum Iudæis nimis familiariter conuerſetur, neque comedat, aut bibat, vel ludat, nec etiam de nocte cum eis agat; non ignem, non cibos paret ob Sabathi obſeruantiam. Mulieres Chriſtianæ Iudæorum Pueros minimi lactent, neque nutriant; nec etiam Pueri Chriſtiani Hebræis mulieribus lactandi dentur; quæ omnia prohibemus, ſub pæna ſcutorum trium pro ſingulis vicibus.

4. Chriſtiani Hebræorum ſynagogis, Matrimonijs, Choreis, feſtiuitatibus, & alijs actionibus ad Religionem ſpectantibus, non interſint ſub eadem pæna.

CAPVT III.

De Verbi Dei prædicatione.

1. OVes illæ verè ſunt Chriſti, quæ vocem Paſtoris audiunt; adeoquè Paſtor mutus eſſe non debet: quapropter mandamus omnibus, qui animarum curam agunt, vt eas ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, Verbi Dei prædicatione alant; quod ſi quis in hoc munere per menſem negligens reperiatur, quinque ſcutorum pæna punietur. Nullus tamen extra fines propriæ Parochiæ, abſque Noſtra in ſcriptis licentia prædicare audeat.

2. Regulares obſeruabunt Decreta nouiſſima Sanctiſſimi

ctiſſimi Domini Noſtri Papæ ſuper hoc ab ipſo emanata, ſub pœnis in eis contentis; & quicumque munus concionandi ſuſceperit, meminerit ſe opus Apoſtolicum exercere; adeoque vanis, inanibus, inutilibus prætermiſſis, ea proferat, quæ amorem Dei, Sanctorum imitationem, virtutum deſiderium, & vitiorum fugam inducere poſſunt.

3. Concionari poſt hac nemo audeat, qui prius coram Nobis non comparuerit, vt de Populi neceſſitate admoneatur, quo Animarum languoribus mederi poſſit: qui ſecus fecerit, à munere prædicandi ſuſpenſus maneat; ſub qua pœna conciones de nocte fieri prohibemus; & dum ad ſanctimoniales prædicabitur, Eccleſiæ fores claudantur, & in ea nullus adſit, præter Confeſſarium, & Cappellanum, exceptis earum ſolemnitatibus, quando publicè fuerit concionandum.

4. Qui ius eligendi Concionatorem pro Quadrageſima ex conſuetudine, vel alia ratione prætendunt, Nobis electionem factam, & electi conſenſum, & nomen per totum menſem Auguſti notificare teneantur; ſi ſecus fecerint, pro illa vice à Nobis Concionator deputabitur; quem nihilominus alere, vel de conſueta eleemoſyna prouidere ipſi tenebuntur. Nullus autem Laicorum, vel eorum Communitas facultatem concionandi in ſuis litteris patentibus alicui dare præſumat, ſub pœna vſurpatæ Iuriſdictionis ſpiritualis; cum ad ſolos Superiores Eccleſiaſticos huiuſmodi poteſtatem dare pertineat.

CAPVT IV.

De Sacramentis in genere.

1. Diuinum munus adminiſtrandi Sacramenta, cum ex rebus ipſis, tum ex ipſorum fine, propter

quem ſunt inſtituta, penſandum eſt: ideoque nullis alijs ceremonijs in ijs adminiſtrandis vllus vtatur, quam approbatis in Rituali Romano iuſſu Pauli V. edito, in quo, & habitus, & ritus præſcribitur; qui ſecus fecerit, arbitrio noſtro punietur.

2. Doceant Animarum Curati fideles ipſis commiſſos Sacramentorum numerum, materiam, formam, miniſtrum, intentionem, diſpoſitionem, effectus; quæ dicantur viuorum, & quæ mortuorum, & quare; quæ itidem imprimant characterem, quæ non; & quæ propterea iterari non poſſint, abſque grauiſſimo ſacrilegio.

3. In Sacramentis adminiſtrandis abhorreat quiſque non ſolum ab illicito, ſed etiam à licito quæſtu (ſi tamen licitus in hoc miniſterio penitus ſacro, & ſpirituali, vel fingi poſſit) qui ſecus fecerit, pro culpæ modo ſimoniaci pęna mulctabitur. Qui verò requiſitus, in adminiſtrando aliquo Sacramento negligens fuerit, ſi ex officio teneatur, quinque ſcutorum pœna plectetur.

CAPVT V.

De Baptiſmo.

1. NVlla mulier obſtetricis fungatur officio, niſi prius à proprio Parocho, præuio diligenti examine de conferendo in neceſſitate Baptiſmo fuerit approbata; cui ſi ſe ſubijcere recuſauerit, & tamen præfatum officium exercere præſumpſerit, in excommunicationem latæ ſententiæ Nobis reſeruatam incurrat.

2. Fons Baptiſmalis ſit bene clauſus, vndique mundus, & quam fieri poteſt ornatus; in eo conſeruentur omnia neceſſaria, & requiſita ad Baptiſmum. Veſtis albæ formam aliquam veſtis habeat, non lintei. Ad benedicendam Aquam conueniant omnes Curati, & quotquot

de

Digitized by Google

de iure, vel conſuetudine conuenire ſolent, ſub pœna trium ſcutorum; Quę benedictio ſaltem in Sabatho ante Paſcha Reſurrectionis omnino habeatur, & cum oleis feria V. antecedenti benedictis, ſub eadem pæna.

3. Aqua Baptiſmalis debet eſſe naturalis; forma: Ego te Baptizo in Nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti.Amen. Intentio Baptizantis in eo conſiſtit, quod velit facere, quod Chriſtus inſtituit, & facere intendit Sancta Mater Eccleſia.

4. Parochus antequam in Eccleſia Paruulum baptizet, ſedulo inquirat, num antea domi ob mortis periculũ baptizatus fuerit: tunc enim eum iterum baptizare non poteſt, ſed tantum ſacramentalia, & cæremonias ſupplere. Curet autem,vt baptizandis nomina tantum Sanctorum imponantur; vt ab eis Animæ, corporiſque bona, & auxilia ſperare poſſint. Solus Parochus, vel alius Sacerdos de ipſius licentia in Eccleſia baptizare poſſit: extra eam in caſu neceſsitatis quilibet, etiam fæmina, ſed non præſente Viro, neque Laicus præſente Clerico, & inter Clericos ſemper dignior in ordine pręferatur.

5. Compater vnus, & Comater vna in ſuſceptione Infantis de Sacro Fonte admittantur; à quo munere Regulares arceri iubemus, niſi à Nobis licentiam obtinuerint. Baptizans verò ſpiritualem cognationem præfatos ſuſcipientes edoceat, quæ inter ſuſcipientem,& ſuſceptũ, eiuſque Patrem, & Matrem, ac etiam inter Baptizantem, & Baptizatum, eiuſdemque Parentes contrahitur. Curati moneant ſimiliter Populos ſibi commiſſos, nè baptiſmum Puerorum differant infra biduum; neque permittant, quod quidquam obſtetrices, aut quæuis alia Perſona ſecum deferant, vel apud ſe retineant, de ijs rebus; quibus huiuſmodi Sacramentum peragitur; & quia dum Puer ad Eccleſiam adducitur multa in via contingere poſſunt, ob locorum diſtantiam, vel ob temporis, ſeu itineris aſperitatem, quæ fortè illum interimant; propterea manda-

mandamus, vt vna feratur vas aquæ naturalis, qua ſtatim, & vbique baptizari poſſit imminente periculo. Iubemus etiam pro baptiſmo offerri candelam, qua in eo Curatus vti debet, vt ab Infantulo bonorum operum lumen præferendum eſſe commoneat; eamque deinde apud Curatum relinqui.

6. Infantes expoſiti, niſi certe conſtet eos fuiſſe Baptizatos, ſub conditione baptizentur; & monſtra, ſi quæ fortè ex muliere naſcantur, & Infantes, de quorum ſexu, aut vita dubitatur, & qui de matris vtero abſque periculo perfectè exire non poſſunt, in membro principali, ſub conditione ſimiliter baptizentur. Quod, ſi mater grauida, priuſquam pariat, moriatur, ſtatim eius ori vſq; ad guttur fiſtula, vel ex arundine, vel ex alia materia apponatur; & eius venter aperiatur, vt fętus baptizari poſſit, ſi aliquod vitæ ſignum in eo apparuerit; de quibus omnibus Curati moneant obſtetrices, & etiam domeſticos mulieris prægnantis, cum ipſa grauiter infirmatur.

CAPVT VI.

De Confirmatione.

1. PVblicato Edicto de Confirmatione habenda, Curati omnes Populum moneant de huius Sacramenti effectu, ac virtute, idoneoſque ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum deſcribant: qui omnes ſeptennio maiores exiſtant; eoſque doceant, quam diſpoſitionem habere debeant, ne obicem gratiæ opponant.

2. Moneant quoque Patrinos, eos debere ſaltem quartum decimum annum excedere, bonorum morum, fidei rudimenta ſcientes, nulla cenſura irretitos: hoſque non poſse vltra duos, abſque noſtra licentia tenere, nec fæmi-

fœminam marem, vel è contra; neque Regulares ad hunc effectum aſſumi poſſe.

3. Moneant quoque Patrinos de cognatione ſpirituali, quæ ab eis in hoc Sacramento contrahitur, vt ſit in Sacramento Baptiſmi; & eodem modo hoc etiam abſque grauiſſimo peccato reiterari non poſſe.

4. Habeant prætereà librum, in quo Confirmatorũ, & Patrinorum nomina deſcribantur, & qui confirmatur extra propriam Parochiam, teneatur ad ſuum Parochum deferre fidem ſuæ Confirmationis à noſtro Cancellario gratis dandam.

CAPVT VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1. CVrati omnes, & quilibet alius Sacerdos à nobis ad audiendas confeſſiones approbatus, caueat ad miniſtrandum hoc Sacramentum aliquo peccato lætali, Eccleſiaſtica cenſura, vel impedimento irretiti accedere; quin immo propriæ virtutis exemplo ſtudeant peccatores ad pœnitentiam, & ad benè viuendum accendere.

2. Cautè Pœnitentes, & præſertim Puellas, & Adoleſcentes, ac etiam perſonas ſcrupuloſas interrogent. Vbi opus fuerit, genus complicis, non perſonam inquirant, quatenus circumſtantias tantùm mutantes ſpeciem reſcire poſſint. Pœnitentias pro qualitate culpæ non ſolùm ſatisfactorias; ſed, cum opportuerit, etiam medicinales imponant. Nullum abſoluere audeant, qui odium, aut inimicitiam deponere nolit, vel res alienas, aut famam reſtituere, ſeu peccandi occaſionem relinquere: quin immo, & ea relicta, de pœnitentis reſipiſcentia experien-

perientiam faciant, & recidiuos acriter commonitos à ſe reijciant, niſi aliqua ſpes emendationis appareat. In periculo mortis quilibet abſolui debet, etiam à caſibus, & cenſuris reſeruatis, & à quocumque ſimplici Sacerdote, ſi approbatus non adſit.

3. Confeſſarij pecuniarum erogationes, vel Miſſarum celebrationes in propriam vtilitatem pœnitentibus non iniungant; nec quidquam pro huius Sacramēti adminiſtratione, vel ſpontè oblatum recipiant; & ſi ab aliquo pęnitente reſtitutio fuerit facienda, Confeſſarij, non per ſe ipſos, ſed per alios idoneos fieri procurent. Sigillum verò confeſsionis inuiolabile ſeruent, quod nulla prorſus neceſsitate directè, vel indirectè frangi poteſt; & ſi fortè auſu temerario ab aliquo frangi contingat, is ipſo facto ab audiendis amplius confeſsionibus ſit ſuſpenſus, & grauioribus pœnis noſtro arbitrio ſubiaceat.

4. Confeſsionales Sedes in Eccleſijs, apertiſque, ac publicis locis diſponantur, quæ feneſtellas habeat cum lamina perforata, & intra ipſas Sedes Bullam Cœnæ Domini, & notulam caſuum nobis reſeruatorum, cum aliqua pia Imagine, quæ Pœnitentes ad contritionem mouere poſſit.

5. Mulieris infirmæ confeſſio in eius cubiculo ita patenti ianua excipiatur, vt Confeſſarius à domeſticis omninò videri poſſit, ſub pœna ſuſpenſionis à munere audiendi confeſsiones; & ſub eadem pęna prohibemus audiri mulierum confeſſiones ante ſolis ortum, vel poſt eius occaſum; &, cum commodè fieri poteſt, Confeſſarij, dum confeſſiones audiunt, ſtola vtantur.

6. Medici ſtatim à principio ægrotos moneāt, vt confiteantur, quod ſi elapſo triduo, nondum fecerint, eorum curationem intermittat: &, quoties nouos infirmos habuerit, curet, vt de illis eorum Parochi notitiam habeant.

7. Cum aliquando ex nimia facilitate, ſeu potius ignorantia quorumdam Confeſſariorum, oriatur, quod

nonnulli

Digitized by Google

nonnulli directè, vel indirectè immunitatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſæpius offendere, vel impedire audeant, ſeu Eccleſiarum bona vſurpare; omnibus, & ſingulis Confeſſarijs, tam Regularibus, quàm ſæcularibus notum facimus, huiuſmodi peccata, etiam occulta, & non deducta ad forum contentioſum, habere annexam cenſuram latæ ſententiæ reſeruatam Summo Pontifici, Sacræ Congregationi Immunitatis Eccleſiaſticæ, vel etiam Nobis ſi ſint occulta; nullumque pœnitentem ab eis de prædictis peccatis, niſi conſtitutum in articulo mortis, abſolui poſſe; adeoque diſtrictè eis præcipimus, & mandamus, ne quemquam ab huiuſmodi peccatis abſoluere audeant, ſub pœna ſuſpenſionis à munere audiendi ſacramentales confeſsiones ipſo facto incurrenda.

8. Præcipimus Confeſſarijs non Curatis, tam Regularibus, quàm ſæcularibus, vt infra quindecim dies à publicatione huius Conſtitutionis, ſeu Decreti, nouas licentias (ſemper gratis concedendas) audiendi confeſſiones à Noſtra Curia in ſcriptis obtineant; quo tempore elapſo, qui non obtinuerint ſuſpenſi remaneant.

9. Licentias quaſcumque abſoluendi à caſibus Nobis reſeruatis hactenus conceſſas, reuocamus, vt eas deindè maturius, provt opus fuerit, concedamus. Nouerint autem omnes Confeſſarij, quod à prædictis caſibus, abſque ſpeciali facultate abſoluentes, pœnas in Decretis Sac. Congregationis Epiſcoporum ſub Clemente VIII. 9. Ianuarij 1601. & 26. Nouembris; & ſub Paulo V. 7. Ianuarij 1607. ipſo facto, abſque alia declaratione incurrunt: & pro Regularibus ſunt etiam aliæ declarationes Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium de anno 1628. & Santiſſimi D. N. Clementis X. ſub datis 20. Iunij 1670. quas omnino obſeruari mandamus.

10. Caſus autem, quos nobis reſeruamus, ſunt infraſcripti: videlicet

1. Blaſphemiæ graues aduerſus Deum, & Sanctos, vltra tres vices.

2. Maleficia, incantationes, ſortilegia, diuinationes, & quælibet ſuperſtitio cum inuocatione Dęmonum tacita, vel expreſſa, Sacramentorum, vel Sacramentalium abuſus.

3. Homicidium voluntarium quocumque modo perpetratum, tam quoad mandantes, danteſque conſilium, auxilium, vel fauorem, quam quoad committentes; ſub quo comprehendimus etiam abortum fœtus animati.

4. Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed in primo tantùm affinitatis illegitimæ. Sodomia, etiam paſſiua, & Beſtialitas, & hi caſus quoad mares tantum.

5. Stuprum Virginum cum violentia, quamuis interceſſerit promiſſio matrimonij.

6. Actus inhoneſti cum filijs, aut filiabus ſpiritualibus; qui nullo pacto ab ijſdem Patribus ſpiritualibus abſolui poſſint.

7. Falſum teſtimonium in Iudicio, tam contra Iuſtitiam vindicatiuam, quam in alterius damnum. Confectio falſorum Inſtrumentorum, Apocarum, Memorialium, & Scripturarum in præiudicium Tertij, vel Fiſci; & ſimilium præſentatio, vel productio.

8. Detentio Infantium in lecto ante annum.

9. Læſio libertatis eorum, qui volunt, vel nolunt contrahere matrimonium, quando coguntur aſſentire, vel diſſentire.

Admonitiones pro Confeſſarijs.

1. PRæſcripta Caſuum reſeruatio à Nobis ſalubriter inſtituta, inuiolabiliter ſeruari debet, nè inualida fiat eorum abſolutio, & Confeſſarij cum pœnitentibus in barathrum damnationis miſerrimè cadant. Multis enim de cauſis indicitur; & primo, vt reſeruatorum criminum grauitas Reis innoteſcat, dum audiunt à Confeſſario, ſe tantam auctoritatem minimè habere; adeoque ipſum Epiſco-

Epiſcopum illis eſſe adeundum. Secundo, vt ipſe Paſtor ſuarum ouium ſæuioribus morbis propria manu, ſuaque prudentia mederi poſſit. Tertio, vt pro atrocibus culpis maior confuſio in ipſo pœnitente, & ex confuſione maior quoque contritio excitetur. Quarto, vt peccator ipſe fortius ab his flagitijs arceatur, pro quibus nouerit, non niſi ab Epiſcopo abſolui poſſe.

2. Expedit igitur, vt Confeſſarij hac facultate ordinariè priuentur, & quod pœnitentes prædictis caſibus irretitos ad nos remittant, non tanquam ad Iudicem fori contentioſi, ſed tanquam ad Confeſſarium authoritate prædītum, & Pœnitentium filiorum longè amantiſſimum. Cum verò alicui ex Confeſſarijs prętatam abſoluendi à caſibus conceſſerimus facultatem, ſemper intendimus excludere ſextum, & nonum.

3. Dum petitur à Confeſſarijs facultas abſoluendi ab aliquo ex his caſibus reſeruatis, ipſius ſpeciem exprimere teneantur; & num pœnitens malum habitum in eo delinquendi contraxerit.

4. Quoad ſecundum, tertium, quintum,& ſeptimum nouerint Confeſſarij, quod ſæpius habent annexam aliquam obligationem ſatisfaciendi parti læſę, vel eam compenſandi.

5. Neminem ergo ab his,etiam habita facultate,abſoluere audeant,niſi prius ſatisfacta parte, vel habito iuramento de ſatisfaciendo, quam primum potuerit.

6. Licet nulla pœnitentia poſſit æquare lætalis culpæ demeritum, quam etiam in Inferno Aeternus Iudex punit citra condignum: oportet nihilominus pro qualitate criminum infligere pœnitentias, vt ex: gr: pro ſuperbia quoſdam actus humilitatis; pro luxuria, corporalis afflictionis; pro gula, abſtinentiæ; pro odio, charitatis; pro auaritia, eleemoſynæ, &c. Quaſdam igitur earum pœnitentiarum notulas Confeſſarij, vel apud ſe habeat, vel

mente retineant, vt eis vti poſſint, augendo, vel minuendo, provt ratio dictauerit.

7. Antiquas Confeſſarij Canonum pęnitentias mente reuoluant, & licet noſtris temporibus earum rigor abſceſſerit, ex eo tamen aliquem modum eas imponendi reperient; ſed ita, vt neque nimia lenitate pęnitentibus lapſus facilitent, neque ſæueriori aſperitate confitendi horrorem incutiant. Nouerint præſertim, ſe, non Iudices tantum, ſed & medicos quoque in ipſo actu à Deo conſtitutos, vt tam mederi, quam plectere ſciant. Suſceptum miniſterium non perfunctoriè, ſed vigilantiſſimè peragant, ne ſe ligent, dum alios ſoluunt. Ex hoc vno pœnitentiæ Sacramento longè magis, quam ex alio quocumque animarum ſalus dependet; nec ita verbi Dei Prædicator peccatores conuertere, abuſus euellere, inimicitias extinguere, ac cætera mala eradicare, vt Confeſſarius poteſt: Qui loquitur ad aures, cũ ſolo, cum ſe accuſante, cum genuflexo ante ſuos pedes; & ipſe, non qualemcumque Iudicem agit, ſed Deum, & potentem ei aperire cælum, vel claudere. Vt igitur ad tantum munus, non niſi verè capaces, & idonei approbentur ab Examinatoribus, vel ab alijs, quibus id à Nobis committi contigerit, eos ſaltem pro prima vice accuratè examinari decernimus, & in libro deſcribi, in quo etiam tempus duraturæ facultatis audiendæ confeſſionis volumus adnotari. Examen verò præcipuè fiat de materia, & forma huius Sacramenti, de Pœnitentis diſpoſitione, de peccatorum ſpeciebus, de cenſuris, de contractibus, & de alijs ſimilibus ad idem Sacramentum ſpectantibus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De Sacramento Ordinis.

1. QVi de ſtatu laicali ad Clericatum tranſire voluerit, ex Dei vocatione id faciat, & animo ad vlteriora gradatim vſque ad Sacerdotium progrediendi. Cum habitu etiam mores mutare debet, vt in actibus eius appareat, quanta ſit differentia inter hominem Eccleſiaſticum, & prophanum, cum ipſe in ſortem Domini ſit adſcriptus, dum ille inter mundanos ſæculi vanitatibus eſt obnoxius. Nullus ergo ante primam Tonſuram Clericalem habitum ſumere præſumat, ſub pęna amiſſionis eiuſdem habitus, & alijs arbitrio noſtro infligendis.

2. Singuli Clerici ei Eccleſiæ fideliter, diligenterque deſeruiant, cui in ipſorum ordinatione adſcripti fuerint; & proprios Curatos in docendo pueros Doctrinam Chriſtianam omninò adiuuent; ſinguliſque menſibus ſemel ſaltem ſacram Euchariſtiam ſumant; & Clericalem habitum, & Tonſuram deferant. Si quis ſecus fecerit arbitrio noſtro punietur, & ad altiorem gradum non promouebitur: & ideo volumus, vt de prædictorum obſeruantia, qui ad altiorem ordinem aſcendere poſtulauerit, proprij Parochi, ac Magiſtri fidem iuratam exhibeat. Prima Tonſura verò initiandus, Baptiſmi, & Confirmationis à ſe ſuſceptæ ſui Curati teſtimonium afferat.

3. Nemo audeat quemquam exorcizare abſque noſtra in ſcriptis licentia, etiamſi exorcizatus ordine ſit inſignitus, ſub grauiſsimis pęnis arbitrio noſtro infligendis; quod etiam extendimus ad Regulares, tam in proprijs, quam in alienis Eccleſijs. In licentia enim, idoneis tantùm, & gratis danda, præſcribemus modum, ritum, tempus, & locum exercendi huiuſmodi officium.

4. In

4. In Ordinum collatione, quæ à Sac. Conc. Tridentino ſancita ſunt, ad vnguem obſeruari volumus, & interſtitia ab vno in alium ſeruari: quod ſi quis ſuper eis diſpenſari indiguerit, id à Nobis ſuppliciter petat, & veras cauſas aſſignet.

5. Nullum ad Subdiaconatum promoueri volumus ad titulum Patrimonij, qui prius non doceat huiuſmodi Patrimonium in ſua poteſtate liberum ad fruendum exiſtere; nullo ære alieno grauatum, non fictum; illiuſque redditus annuos ad ſummam ſcutorum 25. monetæ Romanæ, deductis omnibus oneribus, & expenſis, quæ fortè pro cultura fieri debent, aſcendere; de quibus omnibus à Cancellario Epiſcopali publicum inſtrumentum per Teſtes iuratos fieri curet, in Archiuio noſtro aſſeruandum. Clericus autem fideiubeat, vel ſaltem iuratus ſpondeat, ſe Patrimonium huiuſmodi, ſiue ex hæreditate, vel ex donatione illud habeat, neque donanti redditurum, neque alteri conceſſurum, abſque Epiſcopali licentia, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda Nobis reſeruata.

6. Hic tamen titulus Patrimonij non admittatur, niſi prius ab ordinandi Parocho inter Miſſarum ſolemnia tribus diebus feſtiuis denunciatus fuerit; admonito Populo, vt ſincerè reuelet, an ea bona ſint verè exiſtentia, libera, vel obnoxia æri alieno, ſeu hypothecæ anteriori, & propria ordinandi; de quibus omnibus à prædicto Parocho teſtimonium feratur in ſcriptis.

7. Ordinati ad hunc Titulum, vel Beneficij, ſeu Eccleſiaſticæ Penſionis, nullatenus audeant Patrimonium ipſum, Beneficium, aut Penſionem reſignare, extinguere, alienare, neque titulum de Beneficio in Penſiones, aut patrimonium; neque de patrimonio in penſionem, aut beneficium in toto, vel ex parte, ſine noſtra licentia, etiamſi in Patrimonij aſſignatione id actum eſſet, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda Nobis reſeruata, & alijs noſtro arbitrio, vltra nullitatem actus. Redditus autem

Penſio-

Penſionis, vel Beneficij, ad cuius titulum quis ordinari voluerit, ſit etiam ad minus 25. ſcutorum monetæ Romanæ, detractis oneribus quibuſcumque, niſi ex patrimonio, vel aliundè ipſorum defectus ſuppleat.

8. Hortamur eos, qui ad Sacrum Subdiaconatus ordinem promoueri voluerint, vt prius apud Religioſos viros faciant Exercitia ſpiritualia, & ſuorum peccatorum generalem confeſſionem; vt renouati mente, ac ſpiritu, ſe Deo per votum caſtitatis huic Ordini annexum, puros exhibeant; quæ niſi prǫſtiterint, ad dictum Ordinem à Nobis minimè promouebuntur, exceptis ijs, qui legitimum impedimentum ſe habuiſſe probauerint; & hoc potiori iure à promouendis ad Sacerdotium fieri volumus, quos puriori conſcientia, & longè maiori præparatione ad tantum gradum aſcendere oportet: meminiſſe nam debent, qualiter Angelus Domini oſtenſa Diuo Franciſco de Aſſiſio limpidiſſima chryſtallo ei dixerit; Sacerdotes Chriſti ſimili puritate indigere, vt Sacra myſteria dignè peragere poſſint. Accipiunt Sacerdotes, dum ad tantum munus conſecrantur, poteſtatem in Chriſti corpus reale, ac myſticum; nempè, in Euchariſtiam, & in Chriſti fideles; qua poteſtate maior dari non poteſt. Videant ergo, an eos deceat eſſe comatos, prophanos, luſores, rixoſos, impudicos, & ſcandaloſos, qui ius habent in Chriſti Corpus, & ſanguinem, & in animas, eius paſſione redemptas; qui manibus, ore, lingua, pectore Dei filium, Redemptorem, & Iudicem æternum realiter contrectant, & complectuntur; quapropter meritò dixit Gregorius: Nullum maius præiudicium, quam à malis Sacerdotibus patitur Deus. Hæc mente reuoluant, & contremiſcant, nè dum Deo præiudicium, & quidem maximum inferre præſumant, illud in ſe iuſta, æternaque vltione retorqueant: quia verò dum ordinantur vnà cum Epiſcopo ipſi concelebrant, nouerint prius, quæ ad tantum Sacrificium ritè perficiendum à Sacerdotibus ſciri debent.

9. Te-

9. Teneantur prætereà Curati pro ſingulis Sacris Ordinibus frequenti Populo inter Miſſarũ ſolemnia diebus feſtiuis denunciationes præmittere; & quidem trinas pro Subdiaconatu; ſingulas verò pro alijs; quæ denunciationes continebunt etiam id, quod antea dictum eſt de Patrimonio, Beneficio, vel Penſione, ad quorum titulum quis ordinari deſiderat. Vt autem formiter, & vniformiter ab omnibus fiat, ſequentes earum formulas eis præfigimus, data prius alia, qua vti debent noſtri Cancellarij pro facultatibus faciendi publicationes prædictas.

10. *Fr. Ioſeph, &c. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Ciuitatis Caſtelli:*

Reu. Domino N. N.

Pro Eccleſiæ noſtræ vtilitate in proxima Sacra Ordinatione (vel extra tempora, ſi ordinandus priuilegium habuerit) N. N. ad Sacrum . . . . Ordinem ad titulum . . . . promouendum cenſemus, quemadmodum ipſe in Domino piè deſiderat: quamobrem Nos de tua fide, prudentia, & circumſpectione confiſi, tibi mandamus, vt quam primum tribus Dominicis, vel alijs feſtiuis diebus inter miſſarum ſolemnia frequenti Populo in Eccleſia tua illius nomen, cognomen, Patriam, & deſiderium exponas, & de ipſius natalibus, ætate, vita, moribus, & præcipuè de impedimentis, atque Patrimonio, Beneficio, vel Penſione, ad cuius titulum petit ordinari, iuxta Sac. Conc. Trid. ac noſtrarum Conſtitutionum formam iuſſu noſtro diligenter inquiras: & vt poſtmodum de factis denunciationibus, & de relatis, atque repertis earum vigore, litteras ſigillo tuo obſignatas ad Nos ipſe tranſmittas. Datum in Ciuitate Caſtelli, &c.

11. *Formula della Fede del Batteſimo.*

A di . . . .

Io N. N. Curato della Chieſa N. fò fede, che nel libro del Batteſimo della ſudetta Chieſa ſegnato . . . .

à car-

à carte . . . appare la preſente memoria . . . .
Si ſcriuerà la partita, ſenza aggiungere, nè diminuire parola alcuna. Et in fede della verità hò ſcritto, e ſottoſcritto la preſente di mia propria mano.
N. N. mano propria.
Simile hà da eſſere quella della Creſima, quando non ſi faccia per atteſtatione di Compare, ò Padrino.

12. *Formula della fede del Parocho quanto alle conditioni del Clericando, ò Ordinando.*

Io N. N. Rettore della Parocchia di &c. fò fede, che N. figlio di N. di queſta mia Parocchia è di buona vita, coſtumi, e conuerſatione, & è ſolito confeſſarſi, e communicarſi ſpeſſo, e di tutto ciò oltre l'hauerlo veduto, & oſſeruato io ſteſſo, ne hò hauuta anco informatione, e teſtimonianza da perſone degne di fede; e per verità hò ſcritta, e ſottoſcritta la preſente di mia propria mano.
Io N. N. mano propria.

13. *Formula della fede del Maſtro di Scuola.*

Io N. N. Maſtro di Scuola di . . . . ò vero Lettore di filoſofia, ò d'altro, atteſto per la verità, che N. figlio di N. da tanto tempo in quà viene alla mia ſcuola, & attende alli ſtudij con molta applicatione, e profitto, & è di buona vita, fama, e coſtumi, e ſuol pratticare con perſone honorate, e timorate di Dio; del che io ne hò eſperienza, & ne hò hauuta anche informatione da altri degni di fede, e per la verità hò ſcritta, e ſottoſcritta la preſente di mia propria mano.
Io N. N. mano propria.

14. *Formula della fede della Dottrina Chriſtiana.*

Io N. N. Curato della Chieſa N. fò fede, che N. figliuolo di N. da tanto tempo in quà è ſempre venuto alla Dottrina Chriſtiana, & in quella ſi eſſercita con molta frequenza, e lode, per lo che hò ſcritta, e ſottoſcritta la preſente di mia propria mano à di . . . .
Io N. N. mano propria.

15. *Formula della fede dell'eſſercitio dell'Ordine.*

A di . . . .

Io N. N. Rettore della Chieſa &c. atteſto, che N. N. già promoſſo da Monſignor Illuſtriſſimo Veſcouo all'Ordine . . . . e deſcritto nella detta Chieſa, hà in quella eſſercitato più volte in giorni feſtiui il predetto Ordine in fede &c. Io N. N. mano propria.

16. *Inſtruttione, e formula, colla quale il Parocho dourà fare le dinuntie dell'Ordinando in Sacris.*

D'ordine di Monſignor Illuſtriſſimo, e Reuerendiſſimo Veſcouo di Città di Caſtello ſi fà intendere à tutti li quì preſenti, qualmente nella prima Ordinatione N. N. figlio di N. di queſta Parochia, & habitatione, deſidera coll'aiuto di Dio eſſer promoſſo al Sacro Ordine del &c. à titolo &c. però ſe alcuna perſona ſapeſſe, ò haueſſe notitia di qualche impedimento, per ragione del quale non poſſa, conforme a' Sacri Canoni eſſer promoſſo al ſudetto Ordine, ſi eſortano tutti à volerlo denunciare, e manifeſtare à mè ſecondo la loro conſcienza, e per tale effetto ſentiranno hora, quali ſiano i ſudetti impedimenti, cioè

Si prohibiſce da'Sacri Canoni, e Concilij l'ammettere à gli Ordini Sacri: Chì manca dell'vſo della ragione; chì non hà l'età ſufficiente, che per il Sudiaconato hà da eſſere d'anni 22. per il Diaconato di 23. per il Presbiterato di 25. incominciati almeno.

Se è delinquente, reo, ò inquiſito di delitto graue; Neofito, ò nuouo nella Fede, ſe non è diſpenſato dalla Sede Apoſtolica.

Se è Simoniaco; publico Vſuraro; condannato per cauſa di ſpergiuro; contumace della Corte; infame; comediante; buffone; ſchiauo; homicida; e mutilante; e coloro che alla mutilatione, ò homicidio hanno dato cauſa; ſoldato di guerra, doue ſia ſeguita morte di perſone; offitiale criminale del foro ſecolare; e quelli, che ſi ſono ſottoſcrit-

toſcritti, e trouati preſenti à gli atti criminali, da' quali ne ſia ſeguita la ſentenza capitale; quelli che hanno fatto penitenza publica; bigami; coniugati; ſpiritati; ſoggetti à morbo caduco; quelli che hanno qualche difetto notabile nel corpo; i promoſſi per ſalto, ò ſenza legitima età, ò ſenza licenza degli Ordinarij; gli obligati à render conto di qualche amminiſtratione; i debitori di ſomma conſiderabile; gli ſcommunicati, ſoſpeſi, & interdetti. Chi dunque ſapeſſe alcuna di dette coſe del predetto Ordinando, deue neceſſariamente notificarmelo, con obligo di peccato mortale; ogn'vno però ſodisfaccia prontamente alla propria conſcienza.

17. *Formula della Fede del Curato per le denuntie.*

Io NN. Curato della Chieſa di S. NN. atteſto di hauere in eſſecution dell'ordine di Monſignor Illuſtriſſimo Veſcouo in trè giorni feſtiui di precetto (ò vero in vn giorno) cioè ſotto li..... del preſente meſe inter miſſarum ſolemnia denunciato nella mia Chieſa publicamente al Popolo, che NN. figlio di N. di queſta Parochia deſideraua eſſer promoſſo nella proſſima ordinatione al Sacro Ordine del Sudiaconato, ò Diaconato, ò Presbiterato à titolo di Patrimonio, di Penſione, ò di Benefitio Eccleſiaſtico, e di hauer eſortati tutti à voler manifeſtare, ſe haueſſero hauuto notitia, ò cognitione di qualche canonico impedimento, per lo quale non poteſſe eſſer promoſſo all'ordine ſudetto; e non eſſendoſi ſcoperto impedimento, e ſtanti li ſuoi legitimi natali, la bona vita, e coſtumi, e frequenza della Confeſſione, delle quali coſe hò preſa diligente informatione; ne hò fatto la preſente fede ſottoſcritta di mia propria mano. Io ſudetto N. mano propria.

18. *Formula delle denuntie del Patrimonio.*

N. figlio di N. di queſta Parochia deſidera eſſer promoſſo ne'proſſimi quattro tempora al Sacro Ordine del Sudiaconato à titolo del ſuo Patrimonio, ouero à titolo

del Patrimonio donatoli da N. conſiſtente in Beniſtabili poſti nelle pertinenze di .... in vocabolo &c. quali annualmente rendono per parte Domenicale, computando vn'anno per l'altro, 25. ſcudi in circa: però ſe alcuno ſapeſſe, che li detti Beni non foſſero di detto N. ò che la donatione ſia finta, ò falſa, ò li medeſimi ſiano ſogetti à debiti, ò à fedecommiſſi, ò ad alcun'altro impedimento, ò che non rendino al Padrone il detto frutto di detti ſcudi 25. ſi ordina, che voglia manifeſtarlo ſecondo la ſua conſcienza &c.

19. *Formula della fede per le denuntie del Patrimonio.* Io N. Curato di S...... fò fede di hauere in trè giorni feſtiui, cioè li ..... del corrente meſe inter miſſarum ſolemnia publicato al Popolo il deſiderio di N. N. d'eſſer promoſſo nella vicina ordinatione al Sacro Ordine del Sudiaconato à titolo del Patrimonio datoli da N.N. in tanti beni ſtabili, poſti nel diſtretto di...... vocabulo...... à fin che, ſe alcuno haueſſe hauuto notitia, che detti beni non foſſero liberi del medeſimo N. ò foſſero ſottopoſti à debiti, ò ad altro impedimento, ò non rendeſſero il frutto annuo di ſcudi 25. lo voleſſero manifeſtare; e non eſſendoſi ſcoperto vincolo, ò impedimento alcuno, hò fatto la preſente fede ſottoſcritta di mia propria mano Io N. mano propria.

Per quelli, che ſi doueranno ordinare à titolo di Beneficio, ò di Penſione, in tutto, ò in parte, ſi faranno reſpectiuè l'iſteſſe denuntie, mutatis mutandis &c. e così doppo le fedi.

20. Si quis interdum de noſtra licentia extra Diœceſim fuerit ordinatus, infra duos menſes à die promotionis, eas nobis, aut noſtro Vicario ſignificet, vt ipſius nomen, & ordo in ordinatorum libro deſcribatur; aliàs ab executione ſuſceptorum ordinum maneat ſuſpenſus, &, ſi non fuerit Sacerdos, per biennium ad vlteriorem gradum aſcendere non poſſit.

De

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Celebratione Miſſarum.

1. SAcroſanctum Miſſæ Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum ſatisfactorium eſt, Propitiatorium, & Impetratorium; adeoque omne bonum ab eo dimanat: & cum ſancta ſanctè tractanda ſint, qua ſanctitate myſterium omni ſanctitate repletum tractandum eſt? Meminerint ſacerdotes, ſe in eo perſonam Chriſti peragere, nec vnquam tanta præparatione, puritate, ac attentione peracturos, vt non maiori opus eſſet.

2. Nemo igitur recenter ordinatus audeat primam Miſſam celebrare, quin prius nobis, vel noſtro Vicario Generali approbationem noſtri Magiſtri cæremoniarum oſtenderit, ſub pœna ſuſpenſionis ab vlterius celebrando abſque noſtra diſpenſatione; ac deinceps ſub eadem pœna poſt primam miſſam pro decem alijs immediatè ſequentibus aliquem ſacerdotem expertum adſtantem habeat, qui eum vbi opus fuerit moneat, inſtruat, & dirigat, vt poſtea rectè celebrare valeat; niſi enim à principio id perfectè didicerit, deinceps nunquam conſequi poterit.

3. Quilibet Sacerdos cum celebrare voluerit, prius conſcientiæ, deinde manuum ſordes abſtergat: poſtea præparationem aliquam genflexus attentè faciat; ſubinde miſſam celebrandam percurrat, vel ſaltem præuideat, & in miſſali deſignet; Calicem præparet, & ſe ſacris veſtibus induat, quas aptè ab Acolytho circum quaque concinnari præcipiat: ſic indutus meminerit, ſe non amplius perſonam ſimplicis hominis gerere, ſed Chriſti; adeoque nil indecorum efficiat, cum nemine loqui audeat.

4. Cum

4. Cum in Altari accenſæ candelæ, ibique campanula, & vrceoli fuerint parati cum vino, & aqua, tunc demum ſacerdos, tremens, lento, grauique inceſſu ad celebrandum accedat, & omnia obſeruet, quæ in Rubricis Miſſalis Romani præcipiuntur.

5. In Eccleſijs, quę Sacriſtiam non habent, ſit intra eam locus aliquis pro præparatione deſtinatus; & niſi ex ſola neceſſitate vllus audeat Sacerdos veſtimenta capere in Altari, & tunc ad cornu Euangelij.

6. Poſt miſſam quilibet Sacerdos genuflexus gratias agat, nec ſtatim à Sacriſtia, vel ab Eccleſia diſcedat, aut loquatur, ſed Chriſtum audiat, ſeu ipſum adoret, eumque precetur, quem realiter in pectore geſtat, donec ſpecies ſacramentales incorruptæ permanſerint: ſi quis in aliquo ex præmiſſis ordinariè deliquerit, à nobis pro culpæ modo punietur.

7. De hoc Sacriſtæ nos moneant, alijque, in quorum Eccleſia celebratur; ſuper quo ipſorùm conſcientiam oneramus.

8. Ignotus Sacerdos, ſiuè Sæcularis, ſiuè Regularis ille ſit, ſine litteris teſtimonialibus ad celebrandum non admittatur, & in Ciuitate quidem eiuſmodi litterarum inſpectionem, & approbationem ad noſtrum Vicarium Generalem; vel ad Superiorem illius Eccleſiæ, in qua quis celebrare deſiderat; per Diœceſim verò ad Vicarios Foraneos ſpectare volumus.

9. In Eccleſijs Sanctimonialium ſine ſpeciali dictorum Vicariorum licentia, nullus Sacerdos celebrare audeat, quam licentiam earum Confeſſarijs oſtendi volumus, etiam quo ad Regulares.

10. Nullus in Oratorijs, Capellis, aut Eccleſijs, quæ intrà fines alicuius Parochiæ exiſtunt, diebus Dominicis, aut alijs diebus feſtis ante Miſſam Parochialem celebret, ſub pœna vnius aurei. Nobis etiam celebrantibus nullus in eadem Eccleſia miſſam inchoare, nec poſtea in eodem

dem Altari eo die abſque noſtra licentia celebrare præſumat.

11. Curati omnes, quicumque illi ſint, diebus Dominicis, alijſque feſtis in proprijs Eccleſijs omnino celebrare teneantur, ſub pœna vnius aurei pro prima, & ſecunda vice, alijs verò ſuſpenſionis Nobis reſeruatæ ipſo facto incurrendæ; ire tamen aliquando, ſed raro, poterunt, ad celebrandum in aliqua Eccleſia citra duo miliaria diſtante à propria, vbi habitant; & hoc in peculiari feſto illius Eccleſiæ, & præmonitis proprijs Parochianis, nè vllus abſque ſacro remaneat, & nulla remorante cauſa denunciationis matrimonij, & ſimilium, ſub eiſdem pœnis. Qui debent pro certa die in aliqua Eccleſia, & Altari ſacrum facere, alibi celebrare non poſſint; neque in Dominicis, alijſque feſtis diebus miſſa pro defunctis celebretur; præſente verò corpore, & inſepulto, vnam permittimus.

12. Habita notitia de obitu alicuius ex noſtris Sacerdotibus, pro anima illius omnes noſtræ Diœceſis Sacerdotes miſſam celebrare teneantur, vt ſimile ſuffragium & ipſi poſt mortem inueniant.

13. Laudamus eos, qui pro miſſa celebranda dant eleemoſynam vnius iulij, hoc eſt decem obolorum, iuxta æquiorem, & communiorem vſum fidelium, quem ab omnibus obſeruari vellemus; minores tamen caroleno prorſus improbamus: pro miſſa verò perpetua redditus fundi pro qualibet miſſa ſit duplo maior, cum & cenſus, & bona ſtabilia in dies decreſcant; propterea multa reperiuntur hodie miſſarum onera importabilia.

14. Patres familias, Tutores, Curatores, Domini ſedulò curent, vt qui ſub eorum directione viuunt, diebus Dominicis, & alijs feſtis Sacrum audiant, nè illorum ommiſſio ipſis imputetur, & vnà, vel ſoli damnentur; dum nullo diſcrimine ita Pueros, & famulos alunt, vt Aues, & Catulos.

15. Altaria integra ſint, Aræ tela (vulgo incerata) contegantur; ſuper his tres tobaleæ albæ nullo colore depictæ, ſed ſimplices extendantur; Corporalia, Pallæ Purificatoria mundiſſima ſint; Calices intra cuppã deaurati, Patenæ deſuper: vbi Sanctiſſimum aſſeruatur, Tabernaculum conopæo verſicolore tegatur; & ſupra Vmbellam, ſeu Baldachinum habeat; quod etiam fieri mandamus pro altaribus, quæ ſub tecto abſque fornice, vel laquearibus extant. Icones modeſtæ ſint, & deuotæ, quæ ſanctitatem, non vanitatem redoleant. Frontalia (vulgo Paliotti) decentia; ſcabella, ſeu prædellæ benè dolatæ, & aptæ; ita quoque cætera, quæ ſupra, vel circa Altaria ponuntur; Cruces, candelabra, vaſa, flores, tabula ſecretorum, & alia quæcumque ornatum afferant, & nitorem, vt vel ex his Sacerdos intelligat, quanta ipſe puritate opus habeat, quando etiam inſenſibilia, quæ Altari deſeruiunt, tanto ſtudio curantur.

16. In Ciuitate nullus celebret abſque veſte talari, niſi, vel externus ſit, vel poſt ſacrum iter facere intendat.

17. In quacunque Eccleſia, vbi ſunt onera miſſarũ, adſit liber, in quo notentur Miſſæ, quæ pro ſatisfactione dictorum onerum ibidem celebrantur; & præterea in Sacriſtia, vel in Eccleſia ſit Tabella eorundem onerum publicè expoſita, ſub pœna arbitrio noſtro imponenda.

CAPVT X.

De Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento.

1. CVm firma fide credendum ſit, in Altaris Sacramento ipſum Chriſtum, verum Deum, & Hominem realiter reperiri, ſumma illud veneratione adorare oportet, ex quo noſtra vita, noſtraque ſalus, & omnia bona dependent; itemque mors, interitus, æterna dam-

natio

natio, & cætera mala : itaque fidelis anima, quoties hoc Sacramentum, vel in Miſſæ Sacrificio à Sacerdote oblatum, vel in Altari expoſitum, vel in Tabernaculo clauſum viderit, Deum adoret, eumque ſibi propitium Iudicem deprecetur, vt inferni pœnas effugiat, Cœlique gloriam nanciſci poſſit.

2. Deberet vtique hoc Sacramentum in quacumque Parochiali Eccleſia perpetuò aſſeruari, ſed quia in quibuſdam Ruralibus id fieri commodè non poteſt, in Archipræsbyteralibus omnibus illud cuſtodiri mandamus, ad quas eorum Parochi accurrere valeant, ſi à prandio, & deinceps alicui infirmo Sacrum Viaticum miniſtrare voluerint. Vbi verò aſſeruari ab aliquo ex Archipræsbyteris ob Eccleſiæ paupertatem hactenus non conſueuit, ibi etiam deinceps aſſeruetur, & ad expenſas pro oleo lampadis, Rectores illi pro rata concurrere teneantur, quorum Parochianis in eadem Eccleſia Baptiſmus adminiſtratur; & ad id iudicialiter compelli poſſint: ſi verò cum aliquo Archipræsbytero diſpenſare oportuerit, data vera, & rationabili cauſa,id faciemus. Tabernaculum ſit decenter elaboratum, intus holoſerico vndequaque contectum,& infra corporale habeat,ſuper quo Pixis argentea reponatur, cuius cuppa ſit intus deaurata, vel modica tela ſacri Corporalis tegatur; quod etiam fieri volumus de parua Pixide, ſeu vaſculo, quo Euchariſtia ad infirmos defertur. Clauis Tabernaculi ſit etiam argentea, vel ſaltem deaurata, & cautè à Curatis cuſtodiatur. Tabernaculum ipſum, & Pixis conopæum habeant verſicolor;immo plura,vt mutari poſſint pro qualitate feſtorum: ſuper Tabernaculum ſit ſemper Baldachinum, & ante ipſum lampas iugiter accenſa, ſub pœna duarum librarum ceræ albæ ſodalitati Sanctiſſimi Sacramenti noſtræ Cathedralis applicandæ.

3. Particulas, quæ in Tabernaculo aſſeruantur, in hyeme infra quindecim dies, in æſtate verò infra octo

renouari mandamus, ſub eadem pœna.

4. Sanctiſſimam Euchariſtiam palam exponere, neque Regularibus, neque alijs quo vis prætextu liceat abſque noſtra expreſſa licentia, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſis exponentibus, ipſo facto incurrenda, nobis reſeruata; quod etiam intelligimus de Proceſsionibus cum eodem Sanctiſsimo, exceptis ijs, quæ intra octauam Corporis Chriſti fieri ſolent, ſed in Eccleſijs, vbi huiuſmodi conſuetudo ſeruatur; nuſquam autem, vel exponi, vel proceſsionaliter ferri poſsit abſque duodecim ſaltem candelis ceræ albæ, ſub pœna prædicta; cum verò ad infirmos defertur, aliquot intorticia cum accenſa laterna, quæ ſpecialis ſit, & ad hunc vſum tantummodo deſtinata, pręcedant; vel ſaltem ipſa laterna. In Vrbe, ac Oppidis, Villiſque maioribus ſub pallio deferatur; ad Domos Rurales, ſub Vmbella; & ibi ſuperpelliceo, ſtola, & Pluuiali Sacerdos vtatur; per agros verò ſuperpelliceo, & ſtola cum Pixide à collo intra burſam ex holoſerico albo pendente.

5. Cum ſacrum Viaticum ad infirmos ferri oportebit, diù campana ſpeciali modo pulſetur, vt Populus ad comitandum accurrat; & Curati omnes eundem populum ad hanc deuotionem accendant, ex qua multa, & magna bona, etiam temporalia, dimanant; ipſique per viam Pſalmos, et Hymnos deuotè recitent; aliaque obſeruent, quæ in Rituali Romano Parochis præſcribuntur.

6. Laudamus autem quorundam Parochorum inuẽtionem, qui altariola quædam habent, cum omnibus neceſſarijs; quæ ad domum infirmi præmittunt, vel ſecum afferunt, vt ibi pixis reponi poſsit, quando ipſe infirmus fortè reconciliari voluerit; & huiuſmodi altariola ab omnibus Parochis Ruralibus haberi cupimus, vt eis vti poſsint.

7. In Vrbe, et Oppidis, maioribuſque Villis plures

Parti-

Particulę ad infirmos à Parochis deferantur, vt cum Sanctiſsimo ad Eccleſiam redire poſsint, vbi cum eodem Sanctiſsimo populum benedicant, et eis indulgentiam quinque annorum, et totidem quadragenarum ex eiuſdem Sanctiſsimi aſſociatione lucrari publicent, infirmoſque ipſorum orationi commendent, vt eis temporalem vitam, vel æternam Deus concedat. Rurales verò Parochi vnam tantum Particulam, vel plures pro infirmorum communicandorum numero deferant; et eis Sacra Communione refectis, indulgentias publicabunt, et orationes pro infirmis exquirent.

8. Cum alicubi Sanctiſsimum Sacramentũ expoſitũ fuerit, tã de die, quã de nocte ſemper ante illud pro cuſtodia Sacerdos aliquis, vel alius Eccleſiaſticus genuflexus aderit, cum ſuperpelliceo; quod niſi fideliter obſeruetur, ibidem nunquam amplius exponi poſsit, ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ ipſi exponenti, nobis reſeruata.

9. Omnes, et ſinguli vtriuſque ſexus Euchariſtiam pro adimplendo præcepto Paſchali è manibus proprij Parochį ſumere teneantur; ipſi verò Parochi, quos id non feciſſe nouerint, poſt octauam Paſchatis ad nos deferant, ut contra eos ad excommunicationem canonicè procedamus, ſub pœna ſcutorum quinque, ac etiam ſuſpenſionis à diuinis.

10. Pueris grauiter ægrotantibus idem Sanctiſsimũ Sacramentum in Viaticum deferri uolumus, ſi tamen ſint doli capaces, quod Parochorum ſolertiæ, ac iudicio committimus; qui etiam caueant, nè alios pueros diù differant ad ſacram Communionem admittere; ſed eos tempeſtiuè doceant huius tanti miſterij ſacratiſsima arcana, et cum ſatis inſtructos nouerint, eos prima uice ipſi hoc cæleſti cibo reficiant; cunctoſque fideles ſæpiſsimè ad huius Sacramenti frequentiam, et uenerationem ſummo ſtudio adhortentur.

11. Arceant nihilominus ab Euchariſtiæ ſumptione

pueros quoſcumque ante uſum rationis; mente captos; notoriè interdictos, et excommunicatos; publicos uſurarios; Blaſphemos; Concubinarios; Meretrices: nec vllus, vel etiam Regularis iubere audeat, vel permittere, quod ſtatim poſt cõmunionem, & in loco cõmunionis à communicantibus eleemoſyna quoquomodo petatur, ſub pęna ſuſpenſionis latæ ſententiæ nobis reſeruatæ.

12. Clerici, vt laicis exemplo pręeant, ſacram comunionem ſemel ſaltem in menſe ſumant; & qui iam in ſacris exiſtunt, id ſingulis diebus Dominicis faciant, & alijs feſtis ſolemnibus, vt quo magis accedunt ad Altare, magis de ipſo participent,& hac tanti Sacramenti frequentia, ſe ad quotidie celebrandum diſponant.

CAPVT XI.

De Sacramento Matrimonij.

1. ECcleſiæ Sponſus Benigniſſimus Ieſus, etiam pro temporalibus nuptijs ſpiritualia dona conceſſit, quibus, & matrimonium ſanctificaret, & corporum fœdus animorum vinculo per Sacramenti gratiam arctius vniret. In eo adſunt materia, forma, & miniſter; ſunt autem materia remota ſponſi, proxima verò alterius cõſenſus, vel primo pręſtitus, vel vt ab altero determinatur: forma denique uel poſterior conſenſus, vel vterque ſub ratione determinantis; adeoque ipſi ſponſi ſunt quoque huius Sacramenti miniſtri: quia verò politicum cõtractum includit, hunc Sancta Mater Eccleſia omni ex parte legitimum voluit; & ideo Parochum, ac Teſtes adhiberi iuſſit, quo, & ritè fieret, & ſumma libertate gauderet: videant ergo, quam grauem iniuriam inferant huic Sacramento, qui, vel ad contrahendum, liberas voluntates cogunt, vel nè liberè contrahant violenter impediunt. Huius Sacramenti (vt diximus) materia pro-

xima,

xima,& forma ſunt ipſi vtriuſque ſponſi conſenſus diuerſimodè conſiderati, ſed non tamen quicumque conſenſus; ſed verè liberi, et nullo metu, vel reuerentiali coacti. Non ergo Sacramentum, ſed impium ſacrilegium efficitur, ſi fuerit,vel alter conſenſus extortus; nec vtique matrimonium, ſed concubinatus inter contrahentes erit, qui & peccata ſuper peccata ſemper adijcient, & ſpurios, non liberos procreabunt: Iure igitur Sac. Conc. Tridentini Patres in eos inuehunt, qui huiuſmodi contractui minas, aut violentiam immiſcent; & nos eoſdem excommunicatione nobis reſeruata latæ ſententię innodamus, & ex parte Omnipotentis Dei maledicimus: quemadmodum etiam dantes ad id quoquomodo conſilium, auxilium, fauorem, aut operam. Nunquam Curati matrimonio extra Eccleſiam interſint, abſque noſtra expreſſa licentia:neque in ipſa Eccleſia ante Solis ortum, uel poſt eius occaſum, ſub pęna quinque ſcutorum: & qui præſentes fuerint, aſſiſtant cum omni honeſtate, ac modeſtia, ſicut decet in Domo Dei.

2. Antequam Sponſi matrimonium in facie Eccleſiæ per verba de præſenti ritè contraxerint, inter ſe conuerſationē non habeant,ſub pœna diuitibus trium ſcutorū, alij verò vnius, quæ modò Venerabili Conſeruatorio Puellarum S.Philippi applicamus,ſublata veterum Conſtitutionum cenſura,ob difficultates,quæ inde oriebantur.

3. Curati ad matrimonij celebrationem non procedant, niſi poſt duos ſaltem dies à tertia denunciatione in Eccleſia publicata; quod ſi matrimonium ad menſem vltra illam protrahi contingat; rurſus trinas denunciationes præmitti iubemus, ſub pœna Parocho vnius ſcuti pro eodem Conſeruatorio.

4. Curati omnes Sponſos ipſos de Doctrina Chriſtiana prius examinent,eos arcana huius Sacramenti edoceant; & inducant ad confitendum, & communicandum antequam contrahant, vt eiuſdem Sacramenti gratiam reci-

recipiant; & eos, nonniſi audito Sacro, & accepta benedictione coniungant, in præſentia trium, vel ſaltem duorū teſtium, ſeruato in omnibus Rituali Romano ſub Paulo V. edito. Quando verò alter Coniugum erit alterius Parochiæ, ibi quoque trinas publicationes præmitti mandamus, quarum fidem Curatus ille, in cuius Eccleſia matrimonium contrahitur, apud ſe accuratè retineat; & nomina contrahentium, dieſque publicationum, & Teſtes in lib. Matrimoniorum deſcribat, iuxta formam in fine dicti Ritualis impreſſam. Quoad exteros verò nihil fiat, abſque noſtræ Curiæ ſcientia, & mandato, vt ſeruetur in omnibus, quæ S. Conc. Tridentinum, & Sacra Congregatio S. vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ cum ijs obſeruari præcipiunt.

5. Si aliquando contigerit Coniuges viuere ſeparatos, eos Parochi per ſe ipſos, vel per alios idoneos moneant, vt ſociali charitate conuiuant; &, ſi non paruerint, ad nos deferant; quemadmodum etiam ipſorum Adulteria, ſi fortè (quod Deus auertat) committi reſciuerit.

6. Nullus, nondum habita certitudine obitus alterius coniugis, ad ſecundas nuptias tranſire permittatur, donec de eodem obitu legitimè conſtiterit, nec ei quantumuis longa coniugis abſentia, aut alia probabilis coniectura ſuffragetur.

CAPVT XII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

1. VLtimum remedium, quod Clementiſſimus Ieſus Fidelibus iam è vita migrantibus dedit, eſt Vnctio Sacra, quæ propterea dicitur Extrema, & poſitis in illo agone tribuitur, vt fortius pugnent contra ſpiritualem hoſtem, tunc acrius inſultantem; quatenus, & uicto-

& victores ex hac vita diſcedant, & pro parta victoria in Cælis æterna gloria coronari mereantur.

2. Decenter igitur hoc Sacrum Oleum in Eccleſia ad latus Euangelij ſub claui aſſeruetur; quam apud ſe Curatus cautè cuſtodiat, nec vlli concedat. Sit vas argenteum, ſaltem illud, quod ad infirmos defertur, & intra burſam pretioſam retineri mandamus, quæ à Parochi collo pendere poſsit; Ipſe verò Parochus hoc Sacramentum cũ ſuperpelliceo, & ſtola miniſtret; moneatque infirmum de illius virtute, & efficacia, etiam quoad corpus, ſed principaliter quoad animam.

3. Hoc Sacramentum ſolùm adultis in extremis ex morbo conſtitutis conferri debet; ſed minimè impœnitentibus, furioſis, aut amentibus, qui lucida interualla non habuerint; & Parochi tunc infirmos vngere curabunt, quando adhuc in eis ratio viget, vt ſciant quid agitur, & vberiorem gratiam conſequi poſsint. Si tamen infirmus ex morbi qualitate, vel aliquo improuiſo caſu, ſenſu, aut vſu rationis carentem inueniant, eum nihilominus, dummodo viuat, perungere debent; quod ſi fortè inter vngendum moriatur, ab vlteriori vnctione deſiſtant.

4. Goſſipium, ſeu bombagium, quo vnctiones abſterſerint, ſecum deferant, nec quidquam, vel minimum de eo relinquant, aut alicui concedant; ſed comburant totum, & cineres in Sacrario deponant, quod clauis habeat, & eam apud ſe Parochi, cum altera Olei Sancti cuſtodiant.

5. A Parochis vrbanis, nè ipſorum Parochiani foris degentes abſque hoc Sacramento, aut Viatico ex hac vita decedant, ſi fortè contingat, vt quo tempore Portæ Ciuitatis clauſæ ſunt, illis indigeant, rogentur ab eis Parochi viciniores, vt velint hæc Sacramenta ipſis adminiſtrare; in qua adminiſtratione, vt etiam in alijs cæterorum Sacramentorum, ſeruetur ſemper norma in Rituali Romano præſcripta.

Cum

6. Cum autem animarum ſalus ex perſeuerantia finali omnino dependeat, parum erit, ſi quos in tota vita omni ſtudio coluerunt, in ipſo mortis agone Parochi deſtituant. Ex hoc momento tota res, & res tanta dependet: Nimirum, aut bonum æternum, aut malum; quid igitur erit, ſi ex Parochi negligentia, & incuria, vel anima vnica Paſtoris auxilio deſtituta Sathanæ tentationi conſentiat, & per totam æternitatem irreparabiliter pereat? Caueant propterea Curati, nè ſuos ægrotos, præſertim in extremis conſtitutos, poſt adminiſtrata Sacramenta illicò deſerant; ſed curent, vel per ſe, vel per alium pium Sacerdotem iugiter eis aſſiſtere, quos in extremo ſalutis, vel damnationis æternæ periculo in ſumma neceſſitate, & in agone poſitos vident, & de quibus ab eis ſupremo, & ſapientiſſimo Iudici ratio reddenda erit. Excitent propterea illos ad frequentes actus virtutis,& præſertim Fidei, Spei, Charitatis, contritionis, & reſignationis in Diuina voluntate;obijciat eis Chriſti crucifixi Saluatoris imaginem, eius paſſionem, Sanctorum, & præſertim Sanctiſſimæ Virginis interceſſionem. Moneant adſtantes, & Conſanguineos, nè amplius cum eis de rebus huius mundi loquantur, ſed, vt pro illis Diuinam Clementiam exorent: poſitis autem in agonia,preces recitent genuflexi, eoſque ſæpius aqua luſtrali aſpergant, & vſque ad vltimum halitum iuuent.

7. Si ergo ex alicuius Parochi culpa quiſpiam ex hac vita ſine Sacramento Confeſſionis, vel Euchariſtiæ, vel Extremæ Vnctionis, vel etiam abſque animæ commendatione deceſſerit, grauiſſimè à Nobis pro culpæ modò punietur.

CA-

CAPVT XIII.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

1. QVi per Clericatum in ſortem Domini adſcripti ſunt, miniſtri Dei à D. Paulo nuncupantur; quibus propterea inter alia diſtrictè iubet, vt nulli dent vllam offenſionem, nè vituperetur miniſterium noſtrum; ſed, quod in omnibus ſe exhibeant, ſicuti Dei miniſtros: hinc eſt, quod Sac. Conc. Tridentini Patres tantam in Clericis probitatem requirunt, quos, aiunt, omninò decere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque omnibus rebus nihil niſi graue moderatum, aut Religione plenum præſeferant; leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, vt effugiant, præcipiunt; quatenus ipſorum actiones cunctis afferant venerationem. An iſta in ſe præſtet vnuſquiſque de noſtro Clero ſeriò perpendat, & videat, num ex habitu, ex inceſſu, ex moribus ſuis, Eccleſiaſticus, an potius laicus, ſeu mundanus meritò dici poſſit.

2. Mandamus propterea, quod Clerici vrbani in Sac. conſtituti, veſtibus talaribus ſemper vtantur, nec breuiores induant, niſi dum iter agunt, vel ruri cõmorantur, & tunc veſtis infrà genua deſcendat: interiores etiã habitus modeſtos habeant, abſq; ornamento ex auro, vel argento; & in Tibialibus colorem rubeum, roſaceum, cęruleũ, alioſq; nimis claros, & vanos omninò prohibemus. Qui ſecus egerit in aliquo ex prædictis, pœnas vnius aurei toties quoties incurrat: quemadmodum etiam qui comam nutrire auſus fuerit, vel abſque conſpicua Clericali Tonſura inceſſerit: prædictam pœnam extendimus etiam ad eos Clericos, qui nullo priuilegio annulum ferunt; & ad illos qui ferre poſſunt, ſi cum ipſo celebrare audeant: ita quoque ad eos, qui canes venaticos alunt,

vel tabernas, & diuerſoria, niſi tantùm itineris cauſa, ingrediuntur.

3. Clerici nullius generis arma deferre poſſint, abſque noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia, cum cauſa tantummodò concedenda; & quoad arma breuiora, & laicis, & militibus prohibita, ſub pœna Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus ſuſpẽſionis à diuinis, alijs verò excommunicationis latæ ſententiæ, vtraque nobis reſeruata, & centum aureorum, ſi fuerint ſoluen. aliàs carceris vnius anni: quo verò ad alterius generis arma, ſub pœna decem aureorum, & Sacerdotibus cum ad officia concurrunt, ſi ea detulerint, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum per tres menſes.

4. Clerici omnes, tam in minoribus conſtituti, quam alij, etiam Sacerdotes, cum ad funeralia officia pro defunctis vocantur, vel ad celebrandum aliquod feſtum, ſeu officium, vel ad Proceſſiones habendas, ſuperpelliceo, & biretto vtantur, atque diſtincti à ſæcularibus grauiter, modeſtè, ac deuotè ſe gerant, debitoque ordine ſtent, ſedeant, aut incedant, cum ſtandum, ſedendum, aut incedendum fuerit; vtque omnia ritè fiant, Magiſtro cæremoniarum, vel, extra Ciuitatem, ei, cui huiuſmodi cura à digniore Sacerdote commiſſa fuerit, ad nutum obediant, aliàs pro culpæ modo punientur.

5. Fugiant Clerici commeſſationes, & conuiuia, vt bonorum morum; & continentiæ peſtem. Verum, ſi quando dictorum funerum, vel feſtorum cauſa eis vnà comedere opus fuerit, ſit menſa frugalis, vbi miniſtrorum Dei ſobrietas, & temperantia reſplendeat, neque laicos, niſi modeſtos, & ciuiles commenſales admittant; & ſemper ipſius menſæ benedictionem præmittere meminerint, & in fine Deo gratias agere; nè pecudum modo corpus reficere videantur.

6. Clerici aleis, vel taxillis non ludant, ſub pœna vnius iulij pro qualibet vice, & quoad ludos nuncupatos

de

de Reſto, ſub pæna vnius aurei pro prima, ſecunda, & tertia vice, & pro quarta, & deinceps ad maiores ordines promotis ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ nobis reſeruatæ. Nec huiuſmodi ludos in ſuis domibus permittant, ſub eadem pœna. Modeſtos autem ludos animi gratia (non tamen publicè) fieri permittimus.

7. Clericis omnibus ſtrictè prohibemus incedere perſonatos, in Comedijs recitare, vel eas in ſuis domibus repręſentare, aut permittere; Choreas ducere, vel eis intereſſe; circulatoribus, hiſtrionibus, cum fœminas ſecum habent, adſtare; quicumque in aliquo ex pręmiſſis ſecus egerit, pro prima vice decem ſcutorum pœnas incurrant, triginta pro ſecunda, & ſuſpenſionis à diuinis per ſex menſes, pro tertia, quoad conſtitutos in Sacris; quibus pœnis ſubijcimus etiam eos, qui in ſacris Repræſentationibus abſque noſtra licentia recitauerint; & qui de nocte per vicos, & plateas, pulſando muſica inſtrumenta, vel canendo inceſſerint.

8. Nullam Clerici cum ſuſpectis mulieribus amicitiam, vel conuerſationem habeant. Ancillas domi quadrageſimo anno minores retinere non poſſint, niſi prius à nobis, vel à Vicario noſtro generali viſæ approbentur, ſub pœna ſcutorum viginti. Quos incontinentes nouerimus, grauiter pro culpę modo, tum iuxta Sac. Canones, tum alijs arbitrarijs pœnis mulctabimus; nè autem ignominia, quam culpa meretur, aliquo modo redundet in ordinem, ſatellitibus noſtris præcipimus, vt quemcumque Clericum, ſiue in minoribus, ſiue in maioribus conſtitutum, apud mulierem ſuſpectam inuenerint, ab eo confeſsionem requirant, & omninò recipiant ſuis manibus ſcriptam, vel ſaltem ſubſcriptam, de loco, & tempore, vbi, & quando ab illis repertus fuit; quod ſi præſtare noluerit, eum tandiu ibi retineant, donec aduocatis Teſtibus, ab iiſdem de pręďictis fidem habeant, ritè ſubſcriptam: poſtea verò eum relinquant; qui, ſi deindè ſpon-

tè comparuerit, mitius punietur.

9. Nullus Clericus ex hac noſtra Diœceſi diſcedere audeat, indè abfuturus vltra tres menſes, abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia in ſcriptis; & Sacerdotes non Curati Dimiſſorias ſecum deferre teneantur, ſub pęna vnius aurei toties, quoties; verum pro ijs, qui ad reſidentiam ſpeciali iure tenentur, aliud ſuo loco ſtatuendum eſt: quæ autem in hoc capite pro Clericis decreta ſunt, omnes, & quoſcumque Clericos, tam maioribus, quam minoribus Ordinibus,, vel ſola prima Tonſura inſignitos compręhendere intelligantur.

CAPVT XIV.

De Capitulo, Præpoſito, & Canonicis.

1. IN Eccleſiaſtica Hierarchia, qui cæteros loco prę̃cedunt, etiam virtute præire debent, vt locus conueniat merito, & qui maior eſt gradu, ſit etiam probitate ſublimior: nam dignitate præcellens (vt habetur in 1. q. 1. c. fin.) niſi etiam ſanctitate, & ſcientia præcellat, viliſſimus eſt reputandus. Cum autem virtutum omnium humilitas, & obedientia ſint fundamenta, in eis toti Clero præluceant, qui ex Dei munificentia in eodem Clero præeminent, quatenus eorum exemplo reliquus Clerus facilè ſubeſſe diſcat, & regi. Præpoſitus ergo, & Canonici noſtræ Cathedralis, quæ pro eis à Sac. Conc. Tridentino, à Sacris Congregationibus EE. Cardinalium, à Pontificali Romano, à Cęremoniali Epiſcoporum, & à Conſtitutionibus noſtri Prædeceſſoris Conſtantini Bonelli ſtatuta, decreta, ordinata, vel præſcripta reperiuntur, fideliter obſeruent, & ſuarum fundationum, & inſtitutionum regulas, pacta, & conditiones ſummo ſtudio exequantur; & quæ de prædictis, etiam Cappellanos, omnes, & quo-

& quoſcumque Magiſtros Cæremoniarum, miniſtros, & quoslibet alios Officiales,& Clericos dictæ noſtræ Cathedralis comprehendunt, ab eis quoque exactiſſimè ſeruari volumus, & mandamus, non obſtantibus in pręmiſſis quibuſcumque conſuetudinibus, ſolitis, vſibus, ſeu abuſibus quomodolibet in contrarium introductis, ſub pœnis in dictis Decretis, Statutis,& Ordinationibus contentis, & alijs arbitrio noſtro infligendis.

2. Nobis celebrantibus, vel Choro aſſiſtentibus Prępoſitus, Canonici, Cappellani, Clerici, & quicumque alij noſtræ Cathedralis Eccleſiæ miniſtri Choro interſint, ſub pœna groſſorum quinque pro qualibet vice vltra punctaturam.

3. Punctatores pro tempore fideliter notent Choro non intereſſentes, quando intereſſe debent; & ſemel in anno, hoc eſt prima die Octobris,in noſtris manibus iuramentum præſtent,de fideliter, vt ſupra,punctando: quibus Punctatoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum ipſo facto incurrenda, nobiſque reſeruatæ pręcipimus, vt ſingulis trimeſtribus ad nos deferant notas, & punctationes illorũ, qui Choro non interfuerint. Punctator ille, qui aliquem punctandum prætermiſerit, vltra ſuſpenſionis pœnam, de proprio teneatur ſoluere, quod intereſſentibus deberet accreſcere; nec ab vllo, niſi facta prius huiuſmodi ſolutione,poſſit abſolui: eadem quoque cenſura innodamus eos, qui,quo tempore ad eos non pertinet, in illo aliquid vel minimum addere, vel delere auſi fuerint; vel eundem librum ſurripere, abſcondere, lacerare, aut quoquo modo impedire, nè reperiri, & vſui eſſe poſſit.

4. Quo tempore Præpoſitus, & Canonici noſtræ Cathedralis Choro intereſſe debent, ſi non habeant veſtes talares, vel Sacrum celebrent, vel Confeſsiones audiant, abſque rationabili neceſſitate, pro abſentibus habeantur, & punctari debeant.

5. In

Digitized by Google

5. In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, latæ ſententiæ, ac nobis reſeruatæ, diſtrictè pręcipimus, & mandamus prædictis omnibus, Præpoſito, & Canonicis noſtræ Cathedralis, vt intra menſem Septembris cuiuslibet anni deponant realiter, & cum effectu apud Depoſitarium pro tempore exiſtentem partẽ illam fructuum proprię Dignitatis, & Canonicatuum, quam de iure, vel conſuetudine deponere tenentur; qui quidem fructus in diſtributiones cõuertantur, inter Choro intereſſentes proportionabiliter diuidendas, iuxta Conſtitutiones præfati Prædeceſſoris noſtri Bonelli.

6. Depoſitarius verò, elapſo pręditto menſe Septembris, ſtatim ad nos deferat eos, qui ex præfatis huic noſtro decreto non obtemperauerint. Si ſecus fecerit, de proprio ſoluere teneatur, quod eidem maſſæ diſtributionum defuerit, & alijs quoque pœnis arbitrio noſtro mulctabitur.

Quæ de Canonicis quoad Chori, & Eccleſiæ ſeruitium hic ſancimus, reſpectiuè ea etiam ad Cappellanos, tam perpetuos, quam amouibiles extendimus; ita tamen, vt eorum rata pro diſtributionibus ponenda ſit trium ſtariorum frumenti dumtaxat, inter eoſdem iuxta punctaturas ſuo tempore diuidenda. Habere tamen poſſint trimeſtrem vacationem, ſed alternatim, & diuiſim per vices interpolatas, & extra tempus vacationum Canonicorum.

7. Quicumque Choro, Proceſsionibus, & alijs publicis functionibus intereſſe tenentur, ſtandi, ſedendi, ſurgendi, caput operiendi, tempora noſcant; omniaque ſinguli ſimul præſtent, ita vt ex actionibus, geſtuque corporis, quemadmodum ex vocibus, & Diuinis laudibus, regularis, deuotuſque concentus reſultet.

8. Silentium verò, quod tantoperè laicis in Eccleſia mandamus, ab Eccleſiaſticis omnibus, in Choro pręſertim, obſeruari præcipimus, eiſque diſtrictè mandamus, vt

Cære-

Cæremoniarum Magiſtro ad nutum, promptè, nullaque interpoſita mora obtemperent, quemadmodum, & Nos ipſi facere profitemur: nec vllus audeat in huiuſmodi ſacratiſſimis actibus; vel decuſſatis, vel ſuperpoſitis genibus immodeſtè ſedere, vel loquendo, aut ridendo, aut aliud ineptè agendo immodeſtè ſe gerere. Si quos autem in huiuſmodi rebus inobedientes nouerimus, pro modo culpæ ad ſeueritatem vſque in eos animaduertemus.

C A P V T X V.

De Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo Collegiatæ Montoni.

1. QVæ de Canonicis Noſtræ Cathedralis ſupra decreuimus, ab Archipresbytero quoque, Canonicis, & Capitulo Collegiatæ Terræ Montoni reſpectiuè obſeruari ſtatuimus, & præterea hæc ſpecialiter pro illis infra decernimus.

2. Punctator ſit ſemper de corpore Capituli, ab eo electus, vel quiſque ſuo tempore per turnum; eiuſque officium duret per annum, & à prima die Octobris incipiat; in cuius menſis initio, vel in noſtris manibus, vel noſtri Vicarij Generalis iuramentum præſtare teneatur, de fideliter punctãdo, ſub eadem pœna, quam ſtatuimus pro Canonicis noſtræ Cathedralis. Exactor verò pecuniarum diſtributionum, eas iuxta punctaturas fideliter diſtribuere teneatur in fine anni; ſcilicet, in menſe Septembris, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis per ſex menſes, & alijs arbitrio noſtro: quilibet Canonicorum, vltra obligationes Canonicales, oneribus, & conditionibus, appoſitis à fundatore in ſua inſtitutione, omninò ſatisfaciat, ſub pœna in ipſa inſtitutione contenta, & alijs arbitrio noſtro infligendis.

3. Pri-

3. Prima die feriæ ſecundæ cuiuslibet menſis per totum annum celebretur Capitulum, iuxta ritum, & formam noſtræ Cathedralis, ad quod omnes conueniant; & ſi quis non legitimè impeditus abfuerit, illi Sacriſtiæ ſolуat toties, quoties quinque iulios.

4. Præfati Canonici Eccleſiæ Collegiatæ, miniſtros, & Officiales ſecundum proprias conſcientias liberè eligant, nulla habita ratione alicuius commendationis; quinimo huiuſmodi comendationes captantes eligi non poſsint, ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ.

CAPVT XVI.

De Eccleſiarum Collatione, Parochis, & aliis curam Animarum habentibus.

1. A Digniſſimo Anteceſſore Noſtro Raccagna ſalubriter inſtitutum fuit, nè quis ad concurſum Eccleſiæ vacantis accedere volens litteras commendatitias ad Epiſcopum, vel ad examinatores Synodales afferre præſumeret; cum animarum cura, virtute, ſcientia dignis, non hominum fauore, vel gratia ſuffultis committi debeat. Nos igitur, tanti præſulis exemplo permoti, eandem conſtitutionem innouamus, & inhabilitatis pœna ad eundem concurſum eos plectimus, qui dictis litteris commendatitijs, vel Magnatum interceſſionibus Nos, aut examinatores Synodales, vel quemquam ex eis ſollicitare auſus fuerit, & à celebratione Miſſarum per tres menſes ſuſpendimus.

2. Impedientes verò directè, vel indirectè minis, promiſſis, aut quolibet alio modo, ne quis pro beneficio obtinendo ſe ſubmittat examini, ſtatim excommunicationem nobis reſeruatam incurrant; qua etiam innodamus

eos

eos, qui deinde prouisũ de Beneficio à capienda Eccleſiæ ſibi collatæ, vel bonorum eiuſdem Eccleſiæ mobilium, aut ſtabilium poſſeſſione, vel ab eorum cultura, ſeu fructuum perceptione quoquomodo præter, aut contra Ius, & fas retardauerint, aut impedierint.

3. Qui verò ad concurſum accedere voluerit, fidem ſui Parochi nobis præſentabit, quod ipſe lectioni caſuum conſcientiæ, quę in noſtra Cathedrali, vel per Diœceſim in locis à Nobis pręſcriptis habetur, intereſſe cõſueuerit, vt, non per ſolum examen, ſed etiam per pręfatum ſtudium de ipſius ſcientia notitiam habeamus, quæ vix per aliquot dubiorum extemporanea ſolutione dignoſci poteſt. Cancellarij autem noſtri de concurrentibus, & num contra quemquã ex eis in ipſa Cancellaria criminali aliquid repererint, Nos maturæ præmoneant.

4. Qui ad animarum curam electus eſt, nouerit ſe meritò Eccleſiæ ſuæ ſponſum vocari, & Animarum ſibi commiſſarum Paſtorem; ſicut enim ſponſus ſponſæ alimenta dare tenetur, & Paſtor ouibus ſuis paſcua exhibere; ità Parochus Eccleſiã de omnibus neceſſarijs prouidere, ac Animas ſuæ Parochiæ Cœleſtis Doctrinæ cibo paſcere debet.

5. Præcipimus ergo Parochis omnibus quocumque nomine nuncupentur, vt ſuas Eccleſias mundiſſimè colant, quas, ſi non diuites, ſaltem nitidas habeant, & hoc etiam in tota ſupellectili ſacra prorſus obſeruent: tectum ſit integrum, vt nullatenus pluuias admittat; Parietes albi, & pauimentum planum, & æquè ſtratum; reliqua, vt in Capite de Celebratione Miſſarum præſcripſimus.

6. Oues ſuas, vel potius Chriſti cuius Perſonã gerunt diligentiſſimè paſcant, præſertim Dominicis, & alijs feſtis diebus, modo explicando Euangelium, modo vnum ex ſeptem Sacramentis, & modo alterum; modo commendando ſilentium, & reuerentiam in Eccleſia; obſeruantiam feſtorum; deuotionem erga Sanctiſſimam Virgi-

nem; & alios Sanctos;aliquando reprehendendo vitium, quod in ſuis Parochianis magis vigere conſpexerint; & mox inculcando virtutem illi contrariam: ſed præſertim cunctos hortando ad frequentiam Sacramentorum; in quibus reperiri omnium gratiarum fontes monſtrabunt. Quo verò ad Doctrinam Chriſtianã ea diligentiſſimè obſeruari volumus, quæ in primo capite harum conſtitutionum ſeruari præcepimus: monebunt quoque Populum de feſtis, & ieiunijs intra hebdomadam occurrentibus.

7. Dedecet omnino ſponſum, vel ad tempus deſerere ſponſam; quod ſi fecerit Paſtor cum Grege, Lupus diſperget oues, aut rapiet: Innouantes propterea alias ſanctiſſimas Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutiones,diſtrictè præcipimus, quod nullus, qui curam Animarum habet, extra finem ſuæ Parochię abſque Noſtra,vel Vicarij Noſtri Generalis licentia pernoctare audeat: Qui ſecus fecerit, pro prima vice vnius aurei pœnam incurrat, pro ſecunda decem, pro tertia ſuſpenſionis à Diuinis per ſex menſes; & licentias hactenus forte datas vni, vel alteri pernoctandi extra propriam Parochiam,reuocamus,& irritamus. Qui verò licentiam obtinuerint, vel Parocho viciniori ſuam curam commendent, vel ſubſtitutum relinquant,in noſtra Curia pro Cõfeſsionibus approbatum: ſi verò Parochus per aliquot dies abeſſe voluerit nonniſi de conſenſu noſtro, vel noſtri Vicarij Generalis quemquam in cura ſubſtituere poſsit: qui verò abſente Parocho in commendata ſibi cura quoquomodo deliquerit, eaſdem pœnas luere debeat, quam Parochus lueret, ſi ipſe deliquiſſet.

8. Dominicis, & feſtis diebus Curati Sacrum celebrent hora competenti,ad quam omnes conuenire commodè poſsint; nec in gratia cuiuſuis perſonæ illud, aut differant, aut anticipent: ante ſacrum diebus Dominicis conficiant aquam luſtralem, ſeu Benedictam, & ea Popu-

lum

lum aſpergant. Quam etiam ſecunda, & tertia feria maioris hebdomadæ per propriæ Parochiæ domos efficient, relictis ijs, vbi forte habitauerint publici peccatores, excommunicati, interdicti, concubinarij, & meretrices: explicabunt verò in ipſo die Palmarum eiuſdem aquæ luſtralis virtutem.

9. Candelas quoque benedicant Parochi in feſto Purificationis Beatiſsimæ Virginis, eaſque pro more diſtribuant: Ramos quoque in Dominica Palmarum benedicant; & in die Cinerum eos Parochi ſuorum fidelium capiti de more imponent.

10. Adminiſtrationi Sacramentorum Curati omnes ſedulo inuigilent: hęc ſunt enim præcipua Paſcua, quibus ſuas oues alere debent: Euchariſtiæ autem claues, Sacramentalium, & ſacrarij apud ſe habeant, vel bene cuſtodiant, & nulli fidant.

11. Archiprętbyteri, ſeu Plebani, Parochos, ſimpliceſque Sacerdotes vbique præcedant; ſed neque triplici Thuribuli ductu in officijs, vt Celebrans, incenſentur, neque, prędter collationem baptiſmatis, aliud ius in Parochijs plebanatus exerceant.

12. Libros habeant, in quibus Baptizatos infantes, Confirmatos, Matrimonia, & Mortuos deſcribant, iuxta formulas in fine Ritualis impręſſas; et pręterea vnum alium pro notando ſingulis annis ſtatum Animarum: habeant etiam Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, Inſtructionem Parochorum, has Noſtras Conſtitutiones Synodales, et aliquot ſummas caſuum conſcientiæ probatorum Auctorum.

13. Nullatenus paſſuri ſumus, Parochos inter ſe, vel cum alijs iurgia, contentiones, rixas, aut inimicitias habere; ſed eos potius alios pacificandi, et ad concordiam redigendi munus ſuſcipere, et diligenter exequi volumus: quod ſi quorundam, ſiue domeſticas, et priuatas, ſiue publicas diſſenſiones reconciliare non poterunt, eas ad

nos deferant, id efficacius curaturos. Alia quoque ſcandala publica, eorumque auctores, recidiuos, obſtinatos in malo, pro Paſtorali ſolicitudine omni ſtudio redarguant, et ad meliorem frugem redigere ſatagant: Quod, ſi eorum correctio non ſequatur, de ijs Nos moneant, vt Iudicem experiantur, qui monitorem contempſerint: ipſi verò Curati, exemplo magis, quam verbo ſuas oues inſtruant, et ad ęterna Paſcua ſuauiter dirigant.

14. Cum aliquis Parochus infirmatur, uicinior accurrat, eique, cum opus fuerit, Sacramenta miniſtret, aſſiſtat, et morientis Animam commendet, ipſique defuncto exequias celebret, ac eius corpus ſepeliat; et de obitu Nos, aut Noſtrum Vicarium Generalem admoneat, ut defuncti parochia de idoneo AEconomo prouideatur, ante cuius ad dictam Parochiam acceſſum ipſe illarum animarum, et Eccleſiæ Vacantis curam habeat, quas ſuperuenienti AEconomo ſtatim conſignare teneatur: qui uerò de illa parochia prouiſus fuerit, pro ſuo prædeceſſore uita functo anniuerſaria die illius obitus Miſſam de Requie celebrabit.

CAPVT XVII.

De Eccleſiarum Bonis, & Iuribus conſeruandis.

1. Nè Bona Eccleſiæ, quæ Chriſti Domini ſunt Patrimonium, damnum, aut pręiudicium aliquod patiantur, quicũque inſtrumenta, vel cuiuſuis generis ſcripturas ad Epiſcopalē Noſtram Eccleſiã, aut Curiam, vel ad quęlibet alia Pia Loca ſpectantes quomodolibet habuerit, Nobis vel Eccleſiarum Rectoribus, ad quos ſpectauerint, infra menſem conſignare teneantur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ: hoc autē Decretum ſingulis annis Parochi populo annuncient

inter

inter Miſſarum ſolemnia in Dominica Paſsionis.

2. Quarumcumque Eccleſiarum Rectores, et Piorum Locorum adminiſtratores, intra ſex menſes, ab harum Conſtitutionum Synodalium publicatione inchoandos, ſuarum Eccleſiarum, Beneficiorum, Altarium, Oratoriorum, Societatum, Confraternitatum, Hoſpitalium, Monaſteriorum, Sanctimonialium, & quorumcumque aliorum Locorum Piorum, inuentarium conficiant bonorum omnium mobilium, & immobilium, iuxta formam inferius deſcribendam, ordinatim, & diligenter, in libro ad hoc ſpecialiter deputato, cuius originale ad nos tranſmittatur, vt in noſtro Archiuio perpetuò aſſeruetur; copiam verò authenticam inter propriæ Eccleſiæ, vel Loci Pij libros, & ſcripturas retineant.

3. Idem fieri mandamus de legatis pijs Eccleſiæ factis, & oneribus, & conditionibus illis annexis, cum annotatione temporis præſtitæ ſatisfactionis, & operis, ſiue vſus, in quem legatæ pecuniæ fuerint expenſæ. Notentur etiam iura, iuriſdictiones, priuilegia, & quæcumque alia ad dictas Eccleſias, & Pia loca quomodocumque ſpectantia, nè quid extra inuentarium remaneat, quod deindè, vel per illud probari non poſsit, & per incuriam, ſiue obliuionem aliquando depereat, aut euaneſcat.

4. Mortuo Beneficiario, Inuentarium, & Scripturæ omnes ad beneficium pertinentes gratis ſucceſſori aſſignentur, etiamſi defunctus beneficiarius pro illis expediendis aliquid ſoluerit; ita etiam cuiuslibet Eccleſiæ Capellani amouibiles, cum earum ſuſcipiunt adminiſtrationem, inuentarium bonorum illius Eccleſię, vel Oratorij ſibi conſignari procurent, quod poſtea ſucceſſori cum ijſdem bonis tradetur.

5. Nulla prorſus fiat alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, niſi cum licentia, & ſeruata forma Conſtitutionũ Summorum Pontificum, ſub pœnis in eis contentis, &

alijs

alijs arbitrio noſtro; & qui pecunias Cenſuum ad fauorem Eccleſiarum, vel prædictorum Locorum conſtitutorum à debitoribus legitimè diſdictorum acceperint, eas ſtatim, & incontinenti deponere teneantur in Sacro Monte Pietatis, quo vſque de illarum reinueſtimento prouideatur, ſub pœna omnium damnorum, & intereſſe; & qui huiuſmodi pecunias reſtituunt abſque dicta depoſitione effectiua, & reali, ſubiaceant pœnæ amiſſionis illarum pecuniarũ, & alijs arbitrio noſtro, & teneantur dictis Eccleſijs, & locis pijs ad omnia damna, fructuus, & intereſſe. Notarij verò de inſtrumento rogandi teneantur docere partes de præſenti Noſtra Conſtitutione, ſub eiſdem pœnis, quibus addimus excommunicationem latæ ſententiæ Nobis reſeruatam, ſi ſe de dicta reſtitutione ſortis principalis Cenſuum ſine tali depoſito de facto rogauerint.

6. Quicunque Eccleſiæ ſuppellectilia, ſcripturas, aut res alias mala fide aſportauerint; ſeu quomodocunque aſportatas retinuerint, niſi prius facta reſtitutione, à nemine abſolui poſſint; vſurpantes verò, aut quacunque arte, ſeu quouis quæſito colore, per ſe, aut per alios indebitè occupantes quorumcunque Locorum Piorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphiteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obuentiones ijſdem locis pijs applicandas; vel impedientes, nè fructus percipiantur, à quibus debent, ſciant ſe incidere in cenſuras, & pœnas per Concilium Tridentinum, & Sacros Canones impoſitas, & in alias arbitrio Noſtro infligendas.

7. Rectores Eccleſiarum in exigendis decimis, potius Diuini iuris, quam propriæ rei commodum ſpectent; & Nobis inſcijs aliquid de veteri conſuetudine tolli, aut quidquam præiudicij Eccleſijs inferri non patiantur; & quod per Sacrum Concilium Tridentinum de illarum ſolutione ſtatutum eſt, & pœnas ab eo indictas ſuos Populos

pulos doceant: quod verò attinet ad earum exigentiam,
ſufficiat trina monitio Parochi inter Miſſarū ſolemnia in
tribus diebus feſtiuis, & eiuſdem relatione facta apud
noſtrum Cancellarium relaxetur mandatum à Noſtro Vi-
cario Generali, abſque alia citatione contra non ſol-
uentes.

8. Qui præter debitum ordinem pro Baptiſmo ſuo-
rum infantium ad alium, quam ad propriæ plebis Sacrum
fontem acceſſerint, ſoluant nihilominus, quod de iure
debent ijs Plebanis, à quibus infantes prædicti baptizan-
di forent.

9. Propriarum Eccleſiarum Parochialium terras,
& poſſeſsiones, Parochiani teneantur excolere ſub con-
ſueta mercede, provt ab eorum Parochis, & Locorum
Syndicis, quibus hoc onus imponimus, prædictæ poſſeſ-
ſiones, & terræ diuiſæ, ac aſſignatæ ipſis fuerint: quibus
diuiſionibus, & aſſignationibus factis, & etiam per pu-
blicum baliuum, de ordine noſtro, vel noſtri Vicarij no-
tificatis, ſi dictæ Poſſeſsiones, & Terræ ſeminatæ, vel
excultæ non fuerint, inobedientes Parochiani, dictis Pa-
rochis tantùm ſoluant, quantum arbitrio boni viri ex illis
eo anno colligi potuiſſent, ſub pœnis arbitrio *noſtro* in-
fligendis.

10. Notarij, & Parochi de pijs Legatis in Te-
ſtamento relictis rogati, cum primum Teſtamenta morte
fuerint confirmata, de illis intra 15. dies in ſcriptis No-
bis, aut Vicario noſtro Generali, ac etiam Legatarijs
notulam exhibeant, ſub pœna dictis Notarijs excommu-
nicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ; Parochis ve-
rò ſuſpenſionis à Diuinis quo vſque dictam notulam no-
bis detulerint.

De

Digitized by Google

De Forma Inuentarij.

1. INuentaria hæc Notarij publici manu conſcribantur; quod, ſi Notarius haberi non poſſit, ipſimet Rectores, vel alij Eccleſiarum, ſeu Piorum Locorum curam habentes, adhibitis ſecum Syndicis, ſeu publicis Officialibus, quocumque nomine vocentur: his verò deficientibus, tribus ſaltem Teſtibus ſenioribus de Populo, qui de Eccleſiarum Iuribus plenam notitiam habeant, inuentaria iſta conſcribant.

2. Hæc Inuentaria, non ex cataſtris, neque ex antiquis inuentarijs, vel ex alijs Eccleſiæ ſcripturis; ſed omninò de nouo fiant, vt ſic termini, & confinia vera recognoſcantur; & eo modo, ac ſub ijs nominibus deſcribantur, ſub quibus eo tempore, quo fit inuentarium, repeŕiuntur.

3. In rerum autem omnium deſcriptione hic ordo ſeruetur, & forma teneatur.

In Nomine Domini Amen.

4. Hoc eſt Inuentarium omnium bonorum mobiliũ, ſeu ſtabilium, & ſemouentium, fructuum, redditũum, iurium, & actionum Eccleſiæ N. (& exprimatur, an illa ſimplex ſit, an Parochialis) celebratum ſub die . . . Menſis . . . præſentis anni . . per dictum N. dictæ Eccleſiæ Rectorem, & me Notarium publicum infraſcriptum, &c. in domibus, &c. in præſentia, & iuxta relationem, & aſſertionem dicti N. Rectoris, & N. N. N. hominum de infra deſcribendis plenam cognitionem habentium, medio eorum iuramento per me Notarium eiſdem de dicenda veritate delato; provt tactis, &c. quod ſi abſque Notario fieri contingat, mutatis tamen paucis verbis, & omiſſo Notarij nomine, inſeruire poterit.

5. Qui-

5. Quibus ita præmiſſis, deſcribatur in primis Eccleſia ſub hac forma: Eccleſia prædicta N. poſita eſt, &c. hic deſcribitur locus Eccleſiæ cum ſuis confinibus, &c. ſiue ſit Vrbana, ſiue Ruralis, aut alio in loco conſtituta; adnotetur poſtea pariter latitudo, longitudo, altitudo, & cuius qualitatis ſint illius parietes, tam intus, quam extra; quod habeat Eccleſia frontiſpicium, quod atrium, quam Porticum; quæ ſit Eccleſiæ forma; an ad inſtar Crucis, vel aliter: pauimentum ſimiliter; tecti, campanilis, oſtiorum, & feneſtrarum qualitates, conditiones, & ſituationes deſcribantur. Deindè Altaria omnia, quæ in Eccleſia exiſtunt; illorum nominationes, altitudines, longitudines, & ornatus, tam picturarum, quam paramentorum; cum adnotatione, an illa dotata ſint; & in titulum conferantur.

6. Notentur poſtmodum in eodem Inuentario mobilia Eccleſiæ bona, hoc ordine: vt primo Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, & omnia ad illius vſum, & ornatum ſpectantia deſcribantur. Deinde Fons Baptiſmalis, ſi ibi eſt, cum omnibus, quæ ad vſum, & ornatum illius ibi reperiuntur; Sanctorum pariter Oleorum vaſa, locus, & ornatus; Campanæ etiam, & eius magnitudo, &, ſi poteſt haberi, pondus, & quibus ſint illæ verbis conſcriptæ, vel ſi aliquibus ſint notis ſignatæ. Poſtmodum Cruces, Imagines, Calices, & alia quæuis ex argento, ære, ſeu ex alia materia conſtructa, adnotatis omnium ponderibus, numero, & ornatu.

7. Item quæcumque alia Sacra, & non Sacra, ad Sacramentorum adminiſtrationem, & diuinorum officiorum celebrationem pertinentia: Planetæ, Pluuialia, Dalmaticæ Diaconales, & Subdiaconales; Tunicellæ, Indumenta linea, Mappæ ad apparatum Altarium, & aliæ breuiores, cum expreſſione colorum, & qualitatum, & numeri omnium, & menſuræ; Miſſalia, Breuiaria, libri omnes ad diuinorum officiorum, & funerum vſum; Sedes, Ca-

Digitized by Google

pſulæ, & vniuerſa denique Sacriſtiæ ſuppellex deſcribatur. Subſequenter in prædicto Inuentario adnotentur Domus, Prædia, Officinæ, Horti, & ſimilia Eccleſiæ coniuncta, aut contigua, cum ſuis finibus, & ſituationibus, exprimendo, cuius illa valoris ſint; an Domus illas Rector inhabitet, an ſint locatæ, & cui, & quando,& quanti; & quæ item ſit domeſtica illius Eccleſiæ ſuppellex.

8. Deſcribantur deinceps bona ſtabilia quæcumque ab Eccleſia poſſeſſa, cum adnotatione confinium, quantitatum, ſituationum, & redditnum; & an redditus in vino, in frumento, oleo, ſeu alia re conſiſtant; ſi ex dictis bonis aliqua in emphyteuſim, ſeu alio titulo legitimè ſint locata, & quandiù duret hæc conceſſio, & per quem Notarium ſcripta,& quibus conditionibus, & reſponſionibus bona prædicta ſint conceſſa.

9. Deſcribatur etiam in hoc inuentario, an Eccleſia ſit in poſſeſſione vllos exigendi cenſus, cum expreſſione cauſæ impoſitionis cenſus, temporis, & Notarij rogati an Eccleſia aliqua animalia poſſideat, & cuius ſint ſpeciei, qui fructus ex ijs percipiatur, quis illa retineat, & quibus conditionibus; an habeat ius exigendi decimas, & eas à quibus, & qua ratione; & nihil omninò ad Eccleſiam attinens prætermittatur.

10. Deferantur pariter in hoc inuentarium legata, onera Eccleſiæ: an aliquid Rector ſoluat Vicario, vel Cappellano perpetuo, aut amouibili, ſuæ, vel alteri Eccleſiæ ſeruienti; an quid ſoluat pro ſatisfactione piorum legatorum, vel ex alio onere; an Eccleſia grauata ſit penſione, declarando quanta ſit, & cui ſoluatur.

11. In hoc etiam inuentario explicentur bona Eccleſiæ illegitimè alienata, & quæ ab aliquo illegitimè detinentur, & exponatur à quo tempore res alienata, ſiue occupata fuerit: an ſuper illis, ſeu alijs quibusuis bonis controuerſia vlla, & lis coram Iudice verſetur, quiſue litis ſit ſtatus, vel proceſſus.

12. De-

Digitized by Google

12. Demum inuentarium hoc Rectoris, Syndici, ac Teſtium ſubſcriptione ſub hac forma confirmetur.

13. Ego N. Rector ſupradictæ Eccleſię N. præſens inuentarium, rerum, & bonorum ad dictam Eccleſiam meam ſpectantium, & quæ ego reſpectiuè, vt ſupra pacificè poſsideo, confeci, et in pręmiſſorum omnium fidem me ſucripſi, & ita iuro N. N. &c.

14. Ego N. Syndicus, aut Teſtis de Loco N. dum rerum, et ſupradictorum omnium bonorum, quorum me notitiam habere affirmo, præſens inuentarium conficeretur, interfui, atque in fidem præmiſſorum omnium ſubſcripſi, et ita iuro N. N. etc.

15. Quod ſi aliquis Teſtis adhibitus, ſeu Syndicus, ſcribere neſciat, alter pro eo ſub hac forma ſubſcribat.

16. Ego N. de mandato N. (qui aſſerit interfuiſſe celebrationi inuentarij ſupradictarum rerum, et bonorum, de quibus ſe notitiam certam habere iurauit) ſcribere neſcientis hoc prædictum inuentarium, manu propria ſubſcripſi, et ita iuro N.N. etc.

17. His munitum ſubſcriptionibus inuentarium Notarius publicabit, et Eccleſiarũ Rectores, quod his noſtris Conſtitutionibus ſancitum eſt, circa illud obſeruabunt.

Hæc autem eadem forma ſeruetur in deſcriptione bonorum, et rerum Monaſteriorum, Hoſpitalium, Confraternitatum Laicarum, Montium Pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum.

CAPVT XVIII.

De Monte Pietatis, & Hoſpitali Proiectorum, ſeu Miſericordiæ.

1. OFficialibus Montis Pietatis mandamus, obſeruari Bullam fel. record. Pauli V. editam ſub die 5.

menſis Februarij 1615. ſub pœnis in ea contentis: quolibet triennio fieri computa, vulgo, il Bilancio, bonorum, & ſtatus eiuſdem Montis, & confici librum decretorum, quæ fiunt ab Ordinario in ipſius Montis viſitatione, prout Nos in noſtra decreuimus, ſub eadem pœna tunc appoſita, quam etiam in hac noſtra conſtitutione innouamus. Bona Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ in eo nullatenus oppignorentur, ſub graui pœna noſtro arbitrio &c.

2. Quoad Hoſpitale Proiectorum præcipimus, obſeruari decreta facta in illius Viſitatione à Viſitatore Apoſtolico Mario de Ruere Epiſcopo Callienſi: & ſub pœnis in eiſdem decretis appoſitis, quas etiam hic innouamus.

CAPVT XIX.

De Sacroſanctis Eccleſiis, & reuerentia eis debita.

1. COElum Terræ ſunt ipſę Eccleſiæ, in quibus Diuina Maieſtas ineffabili, ſpecialique modo reſidet, vt ſacrificia benignè ſuſcipiat, præceſque noſtras placatus exaudiat: quanta igitur deuotione, ac reuerentia in eas ingredi, & intra eas manere debeamus, Pſalmiſta fatetur, dum ait, quod Domum Dei decet ſanctitudo.

2. Mandamus propterea Eccleſiarum Curatis, Sacriſtis, & quibuſcumque alijs, ad quos ſpectat, vt eas diligentiſſimè cuſtodiant (& ſicut in alijs capitibus diximus) mundiſsimas habeant, & adeo nitidas, & bene compoſitas, vt ingredientibus in eas deuotionem excitent, ipſorumque mentes ad Dei, rerumque ſupernarum contemplationem, & amorem eleuent, & incendant.

3. Nulla prophana ſupellex in Eccleſia ſeruetur, neque vinum, frumentum, bladę, legumina, fænum, palea, oliuæ, poma, vel ſimilia in eis recondantur, ſub pœna quin-

quinque aureorum. Canes ab eis arceantur, & expellantur, & arma ignem explodentia in eis nullatenus inferantur: Temerarium enim eſt ad Dei Tribunal cum armis accedere, cum quibus Terreni Regis Cubiculum ingredi abſque crimine leſę Maieſtatis nullus auderet.

4. In Eccleſijs, in quibus commodè fieri poteſt, diuerſus ſit locus mulierum, & virorum; Mendici quoque per Eccleſias quærendo eleemoſynas non diſcurrant, ſed extra illarum Valuas eas modeſtè petant. Occiſorum cadauera intra Eccleſias nullo modo inſpiciantur, neque abſque noſtra licentia alio inſpicienda portentur.

5. In Eccleſijs nulla fiat delictorum inquiſitio, nulliuſque Teſtis dictum accipiatur; in quibus prohibemus etiam fieri contractus (excepto matrimoniali) commeſſationes, conuiuia, edulia, ientacula, confectiones inſtrumentorum, circulos, deambulationes, prophana, & inania colloquia; & multo minus inhoneſta; riſus, cachinnos, dona inter Amantes, immodeſtos inter eos intuitus, tumultus, rixas, & alia, quæ Dei oculos, locique ſanctitatem offendere poſſunt, ſub pœnis in Sac. Concilio Tridentino, & in Bulla Beati Pij V. contentis, & alijs arbitrio noſtro infligendis; ſub quibus pœnis prohibemus quidquam non ſacrum poni ſuper Altaria, ſuper ea ſedere, vel eis corporibus, aut cubitu inniti.

6. Mulieres nullo vnquam prætextu accedant ad Confraternitatum, aut quarumcumque Congregationum Oratoria viſitanda, quæ portas non habent immediatè in vijs publicis, & patentes; vel ad quę per ſcalas, vel per vias occultas eatur, ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs arbitrio noſtro.

7. Ianuæ, tam Cathedralis, quam Collegiatarum, & aliarum quarumcumque Eccleſiarum poſt Solis occaſum claudantur, neque ante auroram aperiantur. Repræſentationes prophanæ in eis minimè fiant; quinimo nec ſacrę, abſque noſtra licentia, ſub grauibus pœnis arbitrio

noſtro

noſtro infligendis. Ita etiam ante fores Eccleſię res venales exponi nolumus; neque mimorum, aut Hiſtrionum Ludos permitti; vel Choreas,& alias actiones prophanas fieri, præſertim dum celebrãtur Diuina Officia, ſub pęna ſcutorũ decem pro qualibet vice,& alijs arbitrio noſtro. Prohibemus etiam quidquam immundum, vt quiſquilias, & quid ſimile, ante ianuas Eccleſiarum proijci, ſub pœna duarum librarum ceræ albæ pijs locis applicandæ.

8. Abſque noſtra expreſſa licentia nouas Eccleſias ædificari prohibemus; Aras extrui, vel dirui. Altaria quoq; indotata,& nuda,neq;de neceſſarijs prouiſa,demoliantur, ſi Erectores,vel Patroni, citati,& moniti ea intra prefixum terminum non prouiderint, atque dotauerint: Eccleſiæ verò iam dirutæ, ſi nequeunt reparari, præuia noſtra licentia in prophanos vſus, non tamen ſordidos, (erecta ibi Cruce) conuerti poſſunt.

9. Ad viginti paſſus circa Eccleſias, & Monaſteria Sanctimonialium Meretrices habitare non poſsint, ſub pœna exilij,& alijs arbitrio noſtro; Itemque intra dictum ſpatium circa Monaſteria Monialium ludos clamoroſos diſtrictè fieri prohibemus, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda.

10. In feſto cuiuſque Eccleſię, ita ipſę exornentur, vt nihil habeant, vel depictum, vel arte contextum,quod oculos offendere poſsit; quinimo, & Sanctorum ſtatuæ, & imagines antiquum, & deuotum Eccleſię vſum redoleant, abſque vllo fuco, vel ornatu prophano.

11. Eccleſiæ, ſeu Oratoria campeſtria ſint claue cõtinuo clauſa, ita vt, eo tantum tempore, quo res ſacra, aut quid aliud ſimile in ijs peragitur, maneant aperta; Capellæ quoque in vijs ſitæ Maieſtates nuncupatæ,ſi quę Altaria in eis extiterint, omnino cancellis ligneis claudãtur:alię verò imagines,& Icones in vijs publicis pictę, ſi forte reparari indigeant, id à Parochis fiat, expenſis eorum, qui Domus, prædia, vel alia bona poſsident circa,

ca,

ca, vel prope illas, niſi ex piorum eleemoſynis ad eas concurrentibus fieri poſſit; quas eleemoſynas, & alias oblationes, etiam prædictorum Oratoriorum, & Eccleſiarum campeſtrium, ad eoſdem Parochos pertinere decernimus:

12. Cæmeteria vndique ſæpiantur, vt nullus animalibus aditus pateat; & qua parte habent ingreſſum cancelli lignei apponantur, qui, cum opus erit, aperiri, & claudi poſſint; in eorum verò medio Crux alta erigatur. Caueant Rectores diligenter, nè eorum incuria in Cęmeterijs quidquam committatur, quo ſanctitas loci violetur, ſub pęna ſcutorum viginti quinque ipſius Eccleſiæ ornatui applicandorum.

13. Qui animarum curas exercent, ſæpiſſimè laicos admoneant, vt cum Eccleſiam ingrediuntur, ſe aqua luſtrali aſpergant, & vbi Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, eam prius adorent, & pro more, genuflexi, ſtantes, aut ſedentes, ſe poſitis pro eo tempore ſæcularibus curis, in ſummo ſilentio Cœleſtia meditentur; eiſque diſtinctè referant, & quæ Sacrum Concilium Tridentinum, Beatiſſimus Pius Quintus, & Sancti Patres, pro debita Eccleſijs reuerentia ſanxerunt: nè id autem omninò prætermittere poſſint, eis diſtrictè præcipimus, vt hoc ſpecialiter exequantur inter Miſſarum ſolemnia ſecunda die Pentecoſtes, & in ipſo feſto Sanctorum Omnium.

CAPVT XX.

De Confraternitatibus Laicorum.

1. QVia etiam Laici, vt ſpeciali quodam cultu pro eorum ſtatu, Dei, Sanctiſſimæ Virginis, atque Sanctorum obſequio manciparentur; ſub aliquo eorum titulo

titulo militare conſueuerunt: Nos, vt id ritè fiat, antiquas Prædeceſſoris Noſtri Raccagni conſtitutiones pro earum recta adminiſtratione innouamus.

2: Quælibet Confraternitas habeat proprium Cappellanum, Priorem, Depoſitarium, ſeu Camerarium.

3. Priores, Depoſitarij, & quicumque Confraternitatum Officiales eligantur præſente Parocho; nihil emolumenti inde percipiant;eorumque officij tempus annum, vel biennium, iuxta cuiuſque Confraternitatis inſtitutū, non excedat; quo finito, non confirmentur, ſed noui eligantur: nunquam tamen debitores eiuſdem Confraternitatis. Electi officium ſuum minimè exerceant, niſi à Nobis confirmati fuerint, & iuramentum dederint de benè, fideliterque adminiſtrando, ac de piè, diligenterque ſua munera exercendo, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ.

4. Habeat Confraternitas infraſcriptos libros; vnū, in quo, appoſito die, mēſe, & anno per Scribam, ſeu Cancellarium à Confraternitate deputandum, fideliter exaretur quidquid Confratribus in quolibet Capitulo fuerit propoſitum, cum nota reiectionis, ſi res propoſita fuerit reiecta, & approbationis, ſi fuerit approbata.

Librum, in quo ſcribantur pecuniæ, & omne, quod nomine eleemoſynæ offertur, cum diei, menſis, & anni adnotatione.

Librum accepti, & expenſi.

Librum, in quo ſcribantur bona omnia, tam mobilia, quàm immobilia, iura, actiones, fructus, redditus, & onera Confraternitatis, ad formam inuentarij ſuperius à Nobis traditam: ſi, durante Officio Adminiſtratoris bonorum prædictorum, Confraternitati aliquid acquiſitum fuerit, eiuſdem Adminiſtratoris manu in eodem libro notetur, ex quo in fine officij omnia recognoſcenda erunt, & ſucceſſori tradenda.

5. Bona Societatum, Hoſpitalium, & Locorum Piorum

rum nè locentur Officialibus eorumdem, neque conſanguineis, aut affinibus officialium, neque debitoribus prædictorum Locorum. Locatarij quoque, durante locatione, nè eligantur in officiales, ſub pœna, quod ipſo facto nulla ſit locatio; Debitores autem contumaces quoaduſque ſoluerint careant omninò voce actiua, & paſſiua.

6. Eligatur etiam quotannis Depoſitarius, ſeù Camerarius, & Adminiſtrator, adhibitis ſecretis votis, qui ſit ex ipſa Societate; & penes eum deponantur ea omnia, quę colliguntur: præſtita prius ab Electo idonea cautione; neque det aliquid alicui abſque mandato Prioris in ſcriptis; & ſingulis annis coram Parocho, & duobus de Confraternitate ab eodem eligendis reddat ſuæ adminiſtrationis rationem; ex qua, ſi debitor remanſerit, & intra decem dies Confraternitati omninò non ſatisfecerit, ſtatim ab ea expellatur: & nihilominus per viam iuris ſatisfacere cogatur.

7. Præcipimus item, & mandamus, Officiales, & Adminiſtratores quoſcumque, vt ſupra, præteritos, præſentes, aut futuros, nullatenus poſſe in officio confirmari, aut ad aliud quodcumque eligi, aut pro opere, adminiſtratione, ſeu labore, & officio quocumque. quamuis minimum ſtipendium, emolumentum, ſeù mercedem accipere poſſe, donec, & quouſque integrè, realitèr, & perfectè ſuæ adminiſtrationis, aut officij, modo, & forma, vt ſupra præſcriptis, rationem reddiderint, &, ſi quid debent, integrè perſoluerint.

8. Oneribus Miſſarum, & Officiorum pro Defunctis ſatisfaciant Confratres in Eccleſia, in qua ſepultum eſt Cadauer illius Defuncti, pro quo ſit officium: quæ quidem Miſſę, & Officia, ſi in Parochiali Eccleſia celebrentur, duplicata Parocho detur eleemoſyna; & abſque ipſius conſenſu, nullum Sacerdotem ad celebrandum inuitare audeant, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda.

Digitized by Google

9. Funeribus, ſi quæ fiant in Confraternitatum Eccleſijs, interſit Parochus, & Miſſas quaslibet ſolemnes ipſe cantet; alioquin Capellanus; & idem prorſus ſeruetur in Veſperis.

10. Præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis, tàm Officialibus, quàm alijs Confratribus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ, & expulſionis à Confraternitate, nè vnquam contra noſtram, vel noſtræ Curiæ mandata, & ordinationes, & præcepta vllo modo directè, vel indirectè ad alium, quam ad Superiorem Eccleſiaſticum recurſum habeant; qua pœna innodamus Laicos quoſcumque, qui huiuſmodi recurſum admiſerint, præter alias pœnas vtriſque illatas in Bulla Cænæ Domini, & in alijs conſtitutionibus Apoſtolicis. Sciant autem Confratres omnes quarumcumque Confraternitatum Laicarum Ordinario ſubiectarum, eas omnibus indulgentijs, & priuilegijs priuari, quoties, & quandiu proprio Prælato ſubeſſe, & obedire renuerint.

11. Conuiuia, commeſſationes, edulia, ientacula, quæ ex facultatibus, aut eleemoſynis Confraternitatum, vel aliorum quorumcumque Piorum Locorum pro feſtiuitate Confraternitatis, aut Loci Pij, & pro quacumque alia occaſione fieri conſueuerunt, omninò prohibemus, ſub pœna cuicumque Fratri, omnibuſque alijs, qui præfatis Conuiuijs, commeſſationibus, edulijs, ientaculis interfuerint, quatuor aureorum ipſis Confraternitatibus, ſiue Locis Pijs applicandorum; & ſub eadem pœna ex facultatibus, aut eleemoſynis Confraternitatum, aut Piorum Locorum nihil impendant Confratres, cum ex deuotione ad viſitandam Eccleſiam peregrè proficiſcuntur: Sacerdotibus autem, & Cantoribus, quorum opera Confratres in celebratione Miſſarum, aut aliorum diuinorum officiorum vſi fuerint, in pecunia numerata eleemoſynam, & mercedem tribuant. Concedimus tamen

Priori-

Prioribus, & alijs Miniſtris dd. Confraternitatum licentiam dandi eleemoſynas ſolitas verè Pauperibus, eoſdéque Pauperes moderatè edulijs refocillandi, ac alios laborantes pro Confraternitate, iuxta modum laboris, alẽdi; Inſuper, & Sacerdotibus à longe venientibus tantũ, & qui non poſſunt redire ad proprias Domus hora ſolita prandij, miniſtrandi paruam, & modeſtam refectionẽ. Ludos, aliaſue prophanas actiones in honorem Sanctorum titularium Eccleſiæ, vel Oratorij, Confraternitatum, & Piorum Locorum, quouis prætextu, & occaſione introductos, fieri prohibemus, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis; & vt decretum noſtrum omnibus, ad quos pertinet, innoteſcat, omnibus, & ſingulis Parochis, in quorum Parochijs ſitæ ſunt Confraternitates, & Oratoria, Piuſque aliquis locus reperitur, præcipimus, & mãdamus, vt illud ſingulis annis per menſem ante Confraternitatum, aut aliorum piorum locorum feſtiuitates publicè inter Miſſarum ſolemnia, in die feſto, vulgari ſermone, clara, & intelligibili voce Populo denuncient, & declarent.

12. Confratrum veſtes communes, quos ſaccos vocant, domi, aut alibi, quam in Confraternitate non ſeruentur, & Confraternitati dimittantur, quocumque caſu Fratres recedant.

13. Feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto, in Eccleſijs, ſeu Oratorij Confratrum, aut Piorum Locorum Miſſa non celebretur; ſi ſecus fiet, Eccleſiæ, Oratoriaue ipſo iure Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto.

14. Hortamur autem in Domino quoſcumque Piorum Locorum Confraternitates, vt propriæ ſodalitatis regulas, ſtatuta, & leges, & has noſtras conſtitutiones inuiolabiliter obſeruent, quatenus indulgentiarum theſauros conſequi poſſint, quos Summi Pontifices Confratribus, nõ inobſeruantibus, ſed obſeruantibus conceſſerunt, & ea conditione, vt illis præſcripta exequantur; qui

enim proprijs legibus obtemperare detrectat, iram potius, quam miſericordiam meretur. Hortamur etiam eoſdem Confratres, & enixè precamur, vt ſe in ſingulis ſolemnitatibus Sacra Communione reficiant, & quolibet menſe pro defunctis Confratribus Officium recitent.

15. Præcipimus autem, & in virtute Spiritus Sancti mandamus omnibus, & ſingulis animarum Curatis, intra quorum Parochiam, ſeu illius diſtrictum Confraternitas aliqua reperitur, vt præſentes noſtras conſtitutiones Italicè deſcribant, & in loco, vbi congregationes habentur, affigi curent, & in prima congregatione cuiuslibet anni legi, & quoties electio fieri debuerit, ſub pæna ſuſpenſionis à Diuinis per tres menſes.

CAPVT XXI.

De Confraternitatum Capellanis.

1. Electus pro Capellano alicuius Confraternitatis, à Nobis antequam poſſeſſionem capiat, approbari debeat, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum ipſo facto incurrenda, Nobis reſeruata, & alijs arbitrio.

2. Huiuſmodi Capellani candelas in die Purificationis Beatæ Virginis nè Benedicant, neque Cineres, aut Palmas Oliuarum; neque mulieres poſt partum; non oua, non ſurges; neque die Dominico Eccleſiam Aqua Benedicta aſpergant.

3. In Proceſſionibus ſtolas non deferant; inter Miſſarum ſolemnia, ieiunia, aut dies feſtos nè indicant, concioneſque non habeant; Inobedientes ſint ipſo iure ſuſpenſi.

4. In Oratorijs, & Capellis nullus confeſſiones audiant, niſi de licentia Parochi intra cuius fines illæ ſunt

ſitæ,

ſitæ, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendo amplius confeſſiones.

5. Miſſas non celebrent ante Parochialem, neque hoc ipſo tempore; ſed poſt: quod etiam iubemus de recitatione Sanctiſſimi Roſarij, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

6. Nullus Capellanus audeat cuique ſtolam offerre, vel quenquam ad officium, ſeu Miſſam celebrandam inuitare, ſed hæc omninò ad Parochum ſpectent, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis per tres menſes ipſo facto incurrenda.

CAPVT XXII.

De Eccleſiaſtica Immunitate.

1. QVoniam iuxta Sacros Canones, & Conciliorum, maximè Tridentini, decreta, omnia Statuta, Ordinationes, Reformationes, Conſuetudines, inductæ cōtra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, & eius perſonas, nullæ ſunt, & omninò inualidæ; & Conditores, ſtatuentes, & qui eas obſeruant, aut obſeruari faciunt; qui conſilium etiam præbent; præterea qui ſecundum eas auſi fuerint iudicare, ipſo facto vinculo excommunicationis innodantur. Idcircò præcipimus, & diſtrictè inhibemus, iuxta dictum Sacroſanctum Concilium, vt nullus omninò, nec Magiſtratus, cuiuſcumque ſtatus, ordinis, aut dignitatis exiſtat, audeat ſtatuere, ordinare, reformare, aut aliud quidpiam contra Eccleſiaſticam libertatem, Eccleſiaſticas perſonas facere, aut moliri; nec tentare, aut iubere, vt ſeruentur huiuſmodi ſtatuta, ordinationes, reformationeſque; nec auxilium, conſilium, aut fauorem præſtare, vt fiant, & obſeruentur; nec ſecundum dictas conſtitutiones iudicare; aut aliter quomodo-

modocumque grauare Eccleſias, aut Eccleſiaſticas perſonas; aut illis præiudicium inferre, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & viginti quinque aureorum Pijs Locis applicandorum; neque à prædicta excommunicatione, quiſquam abſolui poterit, qui prius debitam ſatisfactionem non dederit. Quod etiam locum habeat in illis, qui ſtatuta generatim loquentia, non facta ſpecialiter, & expreſſa mentione locorum, & perſonarum, ad ipſas Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas in earum prȩiudicium extendunt.

2. Cum autem in alijs locis huius Diœceſis extra Ciuitatem quidquam contra Immunitatem Eccleſiaſticam fieri contigerit, nè periculum ſit in mora denunciandi, cuiuslibet ex noſtris Vicarijs Foraneis facultatem damus declarandi excommunicatos, quoſcumque dictam Immunitatem Eccleſiaſticam læſiſſe compererint; quod etiam cuique Sacerdoti licitum facimus, ſi prædictos Vicarios maiori diligentia præuenire potuerit: decet enim Clericos omnes, Eccleſiaſticam immunitatem pro viribus vbique tueri, qui eius intuitu, & maiori decorantur honore, & vtiliora emolumenta percipiunt.

3. Statuimus etiam, & mandamus iuxta conſtitutiones Sacrorum Canonum, vt omnia præcepta, & litteræ noſtræ, aut Vicarij Noſtri, quæ dabuntur, concedentur, aut mittentur ad defenſionem, aut protectionem Eccleſiaſticæ libertatis, & iuriſdictionis noſtræ, reuerenter ab omnibus Officialibus, & Magiſtratibus, Sæcularibus, & alijs perſonis Eccleſiaſticis accipiantur, obſeruentur, et executioni demandentur. Qui ſecus egerint, omnibus, pœnis aduerſus violatores, et perturbatores libertatis Eccleſiaſticȩ conſtitutis, ſubiaceant, et puniantur. Addentes inſuper, eiſdem planè pȩnis affligendos eſſe illos omnes Officiales, et Magiſtratus totius noſtræ Diœceſis, et iuriſdictionis, qui directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium, aut alios, vel aliter quomodocumque, Nuncios, et Baiu-

et Baiulos noſtros impedient, aut detinebunt, quominus ferre, et præſentare dictas litteras noſtras, et præcepta; aut ad Nos, vel Vicarium Noſtrum, vel Tribunal noſtrum deferre, aut aliter qualitercumque ſuum officium exequi, vt illis à Nobis iniunctum fuerit, liberè poſſint, & valeant; & idem de omnibus Miniſtris noſtris intelligi volumus.

4. Sicut Eccleſiaſtica Immunitas Dei præcepto, & Canonicis ſanctionibus conſtituta, quam diligentiſſimè cuſtodienda eſt, neque prætermittendum, vt confugientibus ad Eccleſias, & loca ſacra, aliqua vis, contra ſacros canones, inferatur: ità ſummoperè cauendum, nè facinoroſi (niſi neceſſariò) ad ea, quaſi ad aſylum, in Sacrarum Conſtitutionum fraudem, ſe recipiant, vt noua ſub clypeo Eccleſiæ committant delicta. Quare hoc præſenti decreto excommunicationis pæna propoſita, nec non alijs arbitrio noſtro, præcipimus quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, præſertim verò Parochis, nè aliquem exulem, damnatum, vel criminoſum, qui in loco libero ſit, in eorum Eccleſias, vel Domos recipiant, niſi nobis conſultis; &, ſi illis minimè præmonitis, & ſcientibus, tales perſonæ ad huiuſmodi loca ſe contulerint, vltra tres dies non permittant, eos in dictis locis commorari; ſed ſtatim Nos certiores reddant; qui conſiderata perſonarum, locorum, & temporis conditione, & facti qualitate, decernamus id, quod Eccleſiaſticæ immunitati, ſacrorum locorum honeſtati, & Canonum menti conſentaneum iudicabimus.

CA-

CAPVT XXIII.

De diebus feſtiuis, & Ieiunijs.

1. LIcet Feſtiuitates omnes ex ipſarum inſtitutione ſanctiſſimæ ſint, Nos tamen eas operibus bonis ſanctificare iubemur, quia malis actionibus noſtris iniquiſſimè prophanamus. Ieiunium etiam ſanctificare pręcipimur, nè vitiorum lue ciborum abſtinentia fœdetur. Oportet igitur celebrare feſta, non ſolùm ceſſando ab opere vetito, ſed etiam operando bona; & ieiunandum, non tantùm à cibis, ſed etiam à vitijs. Vt ergo fideles omnes huius noſtræ Dięceſis, ieiunia, feſtoſque dies piè, deuotèque ſanctificent, de celebrandis in vnaquaque hebdomada, & de ipſorum natura, & neceſſaria, vtiliſſimaq; obſeruantia Dominicis diebus à Parochis inter miſſarum ſolemnia præmoneantur: & ſciant omnes, ieiunij, atque feſtorum tempus durare ſpatio viginti quatuor horarum; nimirum, à media nocte vſque ad mediam noctem eorum dierum, in quibus cadunt. Habeant propterea dicti Parochi feſtorum, & ieiunorum Catalogum, vt Populum (ſicut dictum eſt) de illis in præcedenti die Dominica diſtinctè præmoneant; & deindè prima hora noctis immediatè ante feſtum, ſiue ieiunium, illud aliquo ſigno campanæ indicabunt.

2. Vnuſquiſque in die feſto Sacrum audiat, & Eccleſiam, ſi commodè poteſt, frequentet, & viſitet, diuiniſque officijs aſſiſtat; & Parentes, Heri, alijque ſubditos habentes, eos ad audiendum Sacrum, non tantùm ire permittant, ſed, ſi opus fuerit, etiam cogant.

3. Deus ipſe, non homo præcipit, vt in die feſto ab omni opere ſeruili ceſſetur; adeoque nullus audeat in tali die, contra dictum præceptum quidquam operari, etiam

etiam ſi lucrum non ſperet; claudantur omnino quarumcumque rerum vænalium officinæ, præter comeſtibilium, & medicinalium; in quibus, & in alijs, quæ pro domo inſeruiunt, portulam dumtaxat aperiri concedimus, ſub pœna ſcutorum trium repartiendorum pro æquali portione inter delatores, executores, & Loca Pia: ſub qua pœna prohibemus etiam manualia opera, exceptis ſecatione fœni, meſſe, & vindemia, quæ poſt Sacrum fieri permittimus, quando periculum fuerit in mora; & hoc de noſtra licentia, vel noſtri Vicarij Generalis: ita etiam prohibemus ſarcinarum euectiones; ſed vectoribus iumentorum iter inceptum proſequi, Miſſa præaudita, permittimus, non autem nouum iter incipere.

4. Tonſores hiſce diebus infirmos curare poterunt, aperiendo venam, medendo vulnera, vel quid ſimile pro eis operando; non tamen Tonſtrinarum ianuas aperire, vel quemquam tondere, ſeu radere. Fabri verò ferrarij proſequentibus iter tantummodò pro eorum iumentis deſeruire poſsint, non autem incipientibus.

5. Mercatus, qui ordinariè qualibet hebdomada fieri ſolent, ſi aliquando cadant in die feſto, die præcedenti fiant, exceptis ijs, in quibus comeſtibilia tantum venduntur. Nundinas verò, quæ ſemel in anno habentur, etiam in feſto permittimus, ſed expleta celebratione Miſſarum.

6. Iudiciorum ſtrepitus feſtiuis diebus omnino ſileant, nulluſque actus iudicialis, vel executio ciuilis in eis fiat; neque pro damno dato agere, neque iuramentum præſtare, neque inſtrumenta ſtipulari liceat, ſub pœna nullitatis omnium actorum, & alijs arbitrio noſtro.

7. Nemo audeat his diebus talis, vel alea ludere, neque alia re clamoroſa ante Eccleſias, dum in illis, aut Miſſæ celebrantur, aut Veſperæ dicuntur, vel Doctrina Chriſtiana explicatur. Valdè quoque abſurdum eſt, Choreis, comeſſationibus, pernicioſis ſpectaculis, alijſq;

ſimilibus in feſtiuitate vacare: Qui enim, quando Deus placandus eſt, eum tot vanitatibus offendere audent, in eorum interitu meritò à Domino ſubſanabuntur: ab ijs ergò cuncti fideles abſtineant, & præſertim in Quadrageſima, vt feſtos dies, atque ieiunium in veritate ſanctificent.

8. Sæcularis quoque Regiminis Præfectos enixè præcamur, vt pro eorum chriſtiano zelo, & pietate, vnà nobiſcum inuigilent, nè Iſtriones, Mimi, Circulatores, & ſimiles, qui ſtolidæ plebis animos laqueis Diaboli feſtis diebus, vt plurimum, inuoluere ſolent, artes ſuas præfatis diebus, feria ſexta, & tempore Quadrageſimæ, vel Aduentus exerceant.

9. Nemo carnibus veſci, aut veſcendas alteri dare in Quadrageſima, ſine Medici, & Noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis, vel foranei per Diœceſim, ſeu, vbi tales Vicarij non ſunt, Parochorum reſpectiuè, in ſcriptis licentia præſumat, ſub pœnis contentis in Sacris Canonibus, & Sacris Conſtitutionibus Apoſtolicis, & etiam decem aureorum, & alijs quoque corporalibus pro noſtro arbitrio. Medici verò licentiam huiuſmodi, niſi prius benè perſpecta neceſsitate, nulli concedant, nè de alieno peccato pœnas luere ipſi cogantur.

10. Vt autem omnes abuſus, qui circa feſtorum, & ieiuniorum obſeruantiam irrepſerunt, penitus extirpentur; Vicarij noſtri foranei, & vbi ipſi non ſunt, Parochi, omnes inobſeruantes coerceant, & contumaces ad Nos, vel ad Vicarium noſtrum Generalem omnino deferant; vt ritè mulctari poſſint, etiam per teſtium examen, & depoſitionem.

CA-

CAPVT XXIV.

De Indulgentijs.

1. PArochis magnoperè curandum eſt, vt Indulgentiarum vſum, ab antiquiſsimis vſque ſæculis receptum, aliaque de illarum eſſentia, virtute, ac valore perſæpè ſuis plebibus explicent, & declarent; ſed hoc potiſsimum præſtent, cum tempus, & occaſio alicuius Indulgentiæ id requiſierit; vt populus norit, quid agere, & quomodo ſe diſponere debeat, vt eam lucrari poſſit.

2. Ad tollendam omnem turpis lucri ſuſpicionem, litteræ Apoſtolicæ, quibus Indulgentiæ conceduntur, neque à Regularibus publicari poſſint, niſi prius nobis, aut Vicario noſtro generali exhibitæ fuerint; neque alibi, quam ad Eccleſiarum valuas exponantur, & ea ratione, vt nullatenus ad quæſtum; ſed, vt omnibus innoteſcant, publicari facilè intelligatur. Ideoque ipſarum occaſione in Eccleſia eleemoſynarum capſulæ, aut lances non apponantur, abſque noſtra ſpeciali licentia, qui hac in re, quod fuerit expediens, ſtatuemus; qui verò ſecus egerint, grauiter punientur.

CAPVT XXV.

De Proceſsionibus.

1. PRidie illius diei, quo futura eſt Proceſſio, ſub primam noctis horam in qualibet Eccleſia ſolemni campanarum ſono ſignificatio detur, proceſſionis poſtero die peragendæ: quinimò & Parochi die Dominico

præcedenti fideles admoneant, vt ad eam, qua par eſt Religione conueniant.

2. In Proceſſionibus Clerici vtantur Veſtibus Talaribus, candido, decentique ſuperpeliceo, & Clericali bireto, niſi temporis inclementia pileum permiſerit; ſed quando Sacra Euchariſtia defertur, quiſque nudo capite incedat, nec vnquam flores præ manibus deferat, aut chirothecis vtatur.

3. Edicimus, & mandamus, vt opificum officinæ, & Tabernæ ab omnibus clauſæ teneantur, dum per illarum vias Proceſsio tranſierit; neç vllibi quidquam indecorum fiat, quod functionis tam ſanctæ pietatem offendere poſſit.

4. Omnes,& ſinguli, qui ad ſacras Proceſsiones conuenire debent, ſiue Clerici, etiam Regulares, ſiue Laici, atque Confraternitates,& Artium Scholæ, ſiue Collegia, primum hora ſtatuta conueniant in Eccleſia, vndè Proceſsio inchoanda eſt, nec vſpiam alibi eam expectent,neque per Eccleſiam vagentur, aut confabulentur; vbi verò in dictam Eccleſiam conuenerint, indè ordinatè, ac deuotè procedant, recitantes per viam ſacras preces, vel in communi, vel ſubmiſſa voce, donec eo peruenerint,vbi eadem Proceſsio terminanda fuerit; & inde,ante Superioris benedictionem,minimè diſcedant.

CAPVT XXVI.

De Sepulturis, & Defunctorum exequijs.

1. PIa Mater Eccleſia de Reſurrectione cogitans etiã defunctorum cadauera Sacro Ritu proſequitur, quem in Rituali Romano præſcribit, & nos eum obſeruari mandamus,ſub pœnis arbitrio.

2. Dicta verò Cadauera, neque ante Solis ortum, neque

neque poſt eius occaſum ad ſepulturam efferantur, nec vnquam incapſati, (vt vulgò dicitur) abſque noſtra licentia: & antequam ſepulturæ mandentur, ſaltim per duodecim horas inhumata permaneant, niſi apoplexia quis deceſſerit, cuius cadauer per viginti quatuor horas extra ſepulturam retineri pręcipimus: ſed neque Capitulo Cathedralis, neque Regularibus liceat, irrequiſito Parocho eadem deferre in ſuis Eccleſijs ſepelienda; & antequam efferantur, non niſi à Parocho, vel ab alio de ipſius licentia luſtrali aqua aſpergantur.

3. Ad funus aſſociandum inuitati, Clerus ſęcularis, & Regularis, ac etiam Confraternitates, ad Parochialem Eccleſiam conueniant, & inde cum Parocho, & Cruce Parochiæ defuncti, ad funeris locum procedant: cum verò etiam Canonici fuerint Capitulariter inuitati, & Parochi, & cæteri omnes ad Cathedralem conueniant, & nunquam per viam expectare liceat, ſub pœna noſtro arbitrio infligenda.

4. Peregrini in Ciuitate, vel extra per milliarium circum circa decedentes, non electa ſepultura, in Cathedrali Eccleſia ſepeliantur: per Diœceſim verò, in Eccleſia Parochiæ, intra cuius diſtrictum obierint.

5. Cadauera pauperum, & miſerabilium perſonarum gratis ſepelienda ſunt, provt cenſuit Sacra Congregatio; ſed Excommunicatos, Interdictos, Hæreticos, in ſingulari certamine occiſos, publicos Vſurarios, notorios Pèccatores, Impœnitentes demortuos, in Paſchate non confeſſos, nec Sacra Communione refectos, ex deſperatione ſe occidentes, neque in Eccleſia, neque in Cemeterio, vel in alio ſacro loco ſepellire licitum eſt (quod etiam dicitur de Religioſis, & Monialibus Proprietarijs.) Pueri baptizati ſepeliantur in loco ſeparato ab adultis, vbi commodè fieri poteſt: Non baptizati verò in loco prophano, ſed propè, vel circa Eccleſiam.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXVII.

De Sacris Repręſentationibus, Tragœdijs, & Comædijs.

1. IN Eccleſijs Sanctorum Martyria, Actioneſque ſcenico apparatu nullatenus repręſentententur, neque alibi, ſine noſtra licentia, & examine, ſub pœna 25. aureorum.

2. Ita etiam Tragœdias, vel Comædias prophanas omninò fieri prohibemus, niſi prius fuerint à nobis examinatæ, & approbatæ, aut permiſſæ, ſub eadem pœna: ſi enim ſola huiuſmodi librorum lectio, qui nimios amores, vel res immodeſtas contineant, adoleſcentium animos commaculare ſolet; quanto magis, quando res ipſæ repręſentantur in Scena.

CAPVT XXVIII.

De Quæſtoribus Eleemoſynarum.

1. HAc noſtra præſenti Conſtitutione reuocamus omnes, & quaſcumque licentias quæſtuandi hactenus conceſſas; &, ſi quis deinceps abſque noua licentia in ſcriptis eleemoſynas pro Confraternitatibus, & Locis Pijs petierit, pœna carceris punietur, neque à Noſtris Vicarijs Foraneis, vel à Parochis admitti poterit, etiamſi eleemoſyna pro celebrandis Miſsis pro defunctis quęratur: prohibemus etiam huiuſmodi quæſtum fieri ab ijs, qui ſono, & cantu in menſe Maio quæritando circumeunt; cum potius videantur, ſibi lucrum, & occaſionem vagandi quærere, quam ex deuotione, vel charitate

tate

Digitized by Google

tate id facere, ſæpiuſque canant prophana, quam ſacra; qui ſecus egerit, arbitrio noſtro punietur.

CAPVT XXIX.

De Cantoribus.

1. CAntores omnes, etiam Laici, dum Eccleſiæ in Choro deſeruiũt, aut Proceſſionibus, & funeribus interſunt, Clericalem habitum talarem deferant, & ſuperpelliceo vtantur, ſi commodè fieri poterit; & id præſertim in publicis Proceſsionibus, & quando à Nobis Pontificalia celebrantur.

CAPVT XXX.

De Canonico Pœnitentiario.

1. CAnonicus Pœnitentiarius officium ſuum diligenter exerceat, & præſertim in Aduentu, Quadrageſima, & diebus fæſtiuis, vt pęnitentes paratum remedium pro ſuis animabus inueniant: quod etiam alijs Confeſſarijs, qui ad audiendas confeſsiones tenentur, ſtrictè præcipimus, ſub graui pœna, ſi fuerint negligentes.

CAPVT XXXI.

De Præbenda Theologali, & Conferentia Caſuum Conſcientiæ.

1. QValibet feria quarta, extra tempus Aduentus, & Quadrageſimæ,habeatur alternatim in Sacriſtia noſtræ Cathedralis, modo lectio à Theologo præbendato de actibus humanis, ſiue moralibus, vel de interpretatione, & explicatione Sacræ Scripturæ; modò verò conferentia Caſuum conſcientiæ: ita tamen, vt quãdo lectio habetur, in fine illius duo caſus proponantur ſequenti feria quarta diſcutiendi, alter ab aliquo ex Parochis, alter verò ab aliquo ex intereſsentibus, vtriuſque nomine ſorte extracto ab vrna, vel lance: qui caſus à die propoſitionis vſque ad prędictam ſequentem feriam quartam in eadem Sacriſtia ſint publicè affixi, vt ab omnibus legi poſsint.

2. Ad prædictam lectionem, & conferentiam conuenire debeant Præpoſitus, & Canonici Cathedralis, Curati omnes, & quicumque Confeſſarij, & alij Sacerdotes Ciuitatis; & quoad prædictos Confeſſarios, Curatos, & Sacerdotes omnes ſub pœna vnius iulij pro prima vice, & duorum pro ſecunda, ita vt ſemper pęna duplicetur, vel augeatur ad arbitrium pro ratione contumaciæ, cuius pœnæ pecuniam applicamus Fabricæ noſtrę Cathedralis.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

De Vicario Generali.

1. VIcarius Generalis noſter, in quo Epiſcopalis repręſentatur auctoritas, vltra vitam laudabilem, & conuerſationem honeſtam, qua debet fulgere, ſtudeat etiam, vt in loco, quem elegit ſibi Dominus, iudicet, iudicij veritatẽ; & diebus iuridicis, horis Cauſidicis commodioribus, ſedeat pro Tribunali ad ius reddendum; taxas, & terminos ſuæ iuriſdictionis ſeruet, & etiã ſeruari mandet proprias à quocumque Miniſtro.

2. Cauſas Eccleſiarum, Miſerabilium, & Piorum Locorum, ac alias ſummarias quarumcumque perſonarum expediat ſine tela, & figura Iudicij, ſola facti veritate inſpecta; & alias ordinarias quaſcumque, quam citiſsimè fieri poterit, terminet.

3. Curet executionem Sacrorum Canonum, Romanorumque Pontificum Conſtitutionum, Sac. Concilij Tridentini reſolutionum, Sac. Congregationum, Noſtræ huius Dięceſanæ Synodi, et nuper abſolutæ Viſitationis; et in hoc inuigilet omninò: et tandem det operam, vt debito tempore fiant promulgationes, tam Literarum Apoſtolicarum, quam etiam decretorum in hac Synodo emanatorum.

4. Interſit examini eorum, qui ad Ordines promouendi ſunt, vel de Beneficijs prouidendi, vel exponendi ad Confeſsiones, maximè nobis abſentibus.

CAPVT XXXIII.

De Vicarijs Foraneis.

1. Vicarij Foranei officium erit, præſidere Eccleſiis Parochialibus, Oratoriis, et Confraternitatibus in Vicaria exiſtentibus; inuigilare, et inquirere Parochorum, aliorumque Sacerdotum, et Clericorum Regionis vitam, et mores; an huiuſmodi Conſtitutiones ab iis, quorum intereſt, obſeruentur; an Curati reſideant, et Parochiale munus exequantur; et abſentes Nobis, vel noſtro Vicario Generali per literas deferant. Tandem omni vtantur conatu, tum hortationibus, tum pœnis, vt dies feſti in honorem Dei, et Sanctorum, ex præſcripto S. Matris Eccleſiæ inſtituti, ab omnibus piè, et religiosè ſeruentur. Quod ſi ipſi Vicarij in aliquo fortè deliquerint, à nobis, etiam priuatione officij, punientur.

2. In delictis ſint ſoliciti in habendo delicti corpus, pro quo vtantur Notario cum duobus teſtibus maioribus viginti quinque annorum, ſi commodè haberi poterunt; et vbi Notarius non adeſt, adhibeant ipſi duos teſtes, vt ſupra; et ſi delictum graue ſit, illicò Nos, ſeu Vicarium Noſtrum Generalem certiorent; ſi verò res ſubita non indigeat prouiſione, quamprimum commodè poterunt, ad noſtram notitiam, vt ſupra, deducant.

3. Eiſdem honor, et reuerentia tribuatur; et in ſpectantibus ad eorum officium, Clerici, et Præsbyteri pareant, alias arbitrio noſtro pro modo culpæ punientur; et vicisſim illi Noſtro Vicario Generali in omnibus obtemperent.

4. Vicarij Foranei eam tandem exerceant iuriſdictionem, quam per Nos, ſeu per Vicarium generalem noſtrum eis delegari contigerit: in cauſis Ciuilibus pro

Locis

Locis Pijs, ſeu miſerabilibus perſonis ſummam ſcutorum quatuor non excedentem tantummodo cognoſcant; in criminalibus neceſſarias ſumant informationes, ad Nos quamprimum tranſmittendas; et in re graui, vbi fugæ imminet periculum, ad capturam Rei deueniant, et Nos certiorent.

CAPVT XXXIV.

De Foro Epiſcopali.

1. ÆQuū eſt Eccleſiaſticæ pietati, vt lites, et negocia, quę in noſtro Foro Epiſcopali diſcutiuntur, quā celerius fieri poteſt, expediantur; et ideo in cauſis ſummā ſcutorum decem non excedentibus (præterquam ex cauſa ſolutionis Canonis) ſiue Clericus Clericum, ſiue Laicus Clericum, ſiue Clericus Laicum, ſiue Laicus Laicum conuenerit, ſummariè, et abſque figura Iudicij, ſola facti veritate inſpecta, per Vicarium noſtrum generalem procedatur.

2. Tabella horarum iuris reddendi affigatur, vt ſciant Cauſidici quando accedere debeant ad tuendas eorum cauſas.

3. Cauſæ matrimonij, miſerabilium perſonarum, & quæ ad pacem, & concordiam pertinent, & in quibus vertitur periculum animarum, feriali etiam tempore tractari poſſint, præterquam in diebus feriatis ad honorem Dei.

4. Reſcripta obtenta à Nobis per quoſcumque ad eorum preces, infra octo dies à die datæ exhibeantur in Cancellaria; quo tempore elapſo, niſi deduxerint legitimum impedimentum, executioni non demandentur.

5. Cancellarij, & Baroncellus præſtent fideiuſſorem de ſeruando taxas, & ſtando Syndicatui.

6. In Cauſis Beneficialibus ſeruentur Taxæ benigniores, & tenuiores, quæ vllo vnquam tempore in noſtra Curia Epiſcopali ſeruatæ fuerint, relictis omninò maioribus, iuxta earum Reformationem à Nobis factam ſecundum taxas, quas hactenus in eadem Curia ſeruari reſciuimus: & earum Tabellas in noſtra Cancellaria publicè affigi mandamus; quod totum præcipimus ſub pœna vigintiquinque ſcutorum, & priuationis officij; in alijs verò cauſis quibuſcumque ſeruentur taxæ reformationis piæ memoriæ Gregorij XIII.

CAPVT XXXV.

De Cancellaria.

1. OMnia acta à Notarijs noſtri Fori in libris referantur, & non in ſchedula, ſeu folijs; & in libris fiat Tabula, ſeu Repertorium.

2. Cancellarius Noſter, & omnes Notarij ſubſtituti quæcumque acta noſtræ Curiæ, nec non inſtrumenta, & omnes ſcripturas, ad formam reſolutionis Sac. Congregationis Concilij Tridentini de anno 1625. die 15. Nouembris, & de anno 1671. 9. Maij, ſeruent in ſuis originalibus in noſtro Archiuio, nec indè audeant aſportare, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Nobis reſeruata, vltra priuationem officij; & in eodem Archiuio fideliter, & diligenter cuſtodiant, tam eaſdem ſcripturas, quam alias omnes ad Noſtram Cathedralem, & Epiſcopalem menſam pertinentes: etiam curent, nè quis poſſit illas temerè attingere, eaſdemque, & alias ſuorum anteceſſorum per inuentarium recipiant, & in fine officij ex eodem inuentario ſucceſſori reſtituent, & conſignabunt, vnà cum ijs, quæ in poſterum conficientur, & recuperabuntur; & claues dicti Archiuij ſint ſemper apud noſtrum Cancellarium Generalem, qui curam dictarum ſcripturarum gerere debeat.

3. Si

3. Si quæ Scriptura ſit antiqua, quæ vetuſtate corrodatur, & pereat, fiat ex illa tranſumptum ex auctoritate Iudicis, & iuris ordine ſeruato, vt vim habeat probationis. Libri verò, qui debent confici per noſtrum Cancellarium, ſunt: Liber Actorum Ciuilium; Teſtium Ciuilium; Actorum verò Criminalium pro quolibet fiat particularis quinternus, benè aptatus, & poſtea redigatur in librum; Bullarum; S. Inquiſitionis; Actorum in Viſitatione; omnium Inſtrumentorum, quæ ipſe Cancellarius in Cancellaria, ſeu extra vti Cancellarius ſtipulatus fuerit, & intra decem dies à ſtipulatione in Protocollum redigat, ſub pœna ſcutorum vigintiquinque, & priuationis officij; & dictum protocollum ponat in noſtro Archiuio, vt ſupra diximus.

4. Notarij, quicumque ſint, etiam Apoſtolica auctoritate creati, niſi coram Nobis examinati, & approbati fuerint, in negocijs, litibus, contractibus, & cauſis Eccleſiaſticis, nec non Eccleſiarum, & Clericorum, ac Locorum Piorum, ac ſpiritualibus, eorum officij exercendi vſum non habeant, quacumque appellatione ceſſante; & omnes rogati de pijs diſpoſitionibus, earum notam ad Nos infra quindecim dies ab obitu Teſtatoris deferant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ; & idem ſeruent Parochi ſi coram eis fuerit piè diſpoſitum.

CAPVT XXXVI.

De Conferentia Caſuum Conſcientiæ per Diœceſim.

1. PRincipale munus Parochorum eſt, ſuarum oviũ languoribus, atque infirmitatibus aptè mederi, quod abſque plena notitia humanorum actuum, quorum malitia anima læditur, fieri non poteſt; vt igitur omnes Curati, etiam Diœceſani, ſe in hoc ſtudio exerceant, ſtri-

ctè

ctè mandamus, in ſingulis Oppidis, & locis muratis haberi conferentiam Caſuum Conſcientiæ, ſemel ſaltem in menſe, ad quam conuenire debeant omnes eiuſdem loci Confeſſarij, & Rectores, qui circa illud ad vnum milliare habent reſidentiam, ſub pena Parochis vnius iulij pro prima vice, duorum pro ſecunda, & ſic deinceps vſque ad finem anni; & pro alijs ſuſpenſionis ab audiendo Confeſſiones, ſi bis abfuerint.

2. In prima eorum Congregatione eligant Secretarium, qui Caſus propoſitos, & eorum reſolutiones deſcribat, & abſentes notet in libro ad id conficiendo, quem in fine anni ad Nos tranſmittat; eligant duos etiam ſcientia præſtantiores, qui in vnaquaque Conferentia, auditis omnibus alijs, meliores, & probabiliores opiniones, circa tres caſus propoſitos approbent; & in eadem prima Congregatione determinent locum, & ordinem, vbi, & quo, per turnum proponendi, et ſoluendi erunt prædicti Caſus; ita quidem, vt qui in ſequenti Conferentia eos ſoluere debuerit, eoſdem in præcedenti proponat. Deputabunt etiam alios duos pro viſitandis infirmis, et alios duos pro componendis iurgiis, ac differentiis, quæ aliquando inter fratres eiuſdem Congregationis inſurgent; et horum omnium officium per annum durabit. Statim in principio cuiuslibet Congregationis, inuocabunt Sancti Spiritus gratiam, et gratias agent in fine, ſubiungetque qui præſidebit, orationes; et in ipſa Conferentia reuerenter, et modeſtè ſe gerant, non quidem ad oſtentationem altercando, ſed ad veritatem ipſam pęnitentium conſcientiis proficuam indagandam.

3. Quo verò ad Archipresbyteros, Rectoreſque Rurales, ſeu Campeſtres, quæ ſuperius mandauimus, ita obſeruabunt, vt nihilominus in aliquibus propter Locorũ diſtantiam huiuſmodi Congregationes diuerſo ritu perficiant.

4. Pro Diœceſis amplitudine plures erunt Congregatio-

Digitized by Google

gationes; ita tamen, vt duodecim, vel pauciores, pro Locorum diſtantia, Parochi propinquiores in vnaquaque conueniant; et per turnum ſingulæ fiant in Eccleſia illius, cuius erit Caſus à ſe in præcedenti Congregatione propoſitos ſoluere.

Summo mane ſtatuta die conueniant, et Miſſas in eadem Eccleſia celebrent, ſecundum intentionem illius Parochi; Miſſiſque abſolutis fiat Conferentia modo præſcripto; poſt Conferentiam verò in Domo eiuſdem Rectoris prandium ſumant, & ſe modeſtè reficiant, tribus tantùm ferculis contenti, ſub pęna vnius libræ ceræ albæ, à Nobis alicui Eccleſiæ applicandæ, ſi quis hunc ferculorum numerum excesſerit.

6. In morte alicuius ex Congregatione reliqui omnes ad illius exequias conueniant; & pro eius anima tres Miſſas ſinguli celebrent.

CAPVT XXXVII.

De Sanctimonialibus.

1. MOniales, quæ Chriſti ſunt ſponſæ, ſpecialorem curam à Nobis exigunt; adeoque paucis quidem, ſed opportunis Decretis eorum bono ſpirituali, ac etiam temporali conſulere intendimus.

2. In quolibet Monaſterio ſit deinceps locus ſpecialis pro Puellis educandis, vbi ſuos lectos habeant, & inibi cubet etiam ipſarum magiſtra: vbi verò eiuſmodi cōmoditas haberi non poteſt, pro dictis Educandis, & earum Magiſtra in communi Dormitorio aſſignetur locus ſeparatus ab alijs, in vno, vel altero capite; ita vt nulla Monialis intermediet, ſub pœna priuationis officij Abbatiſſæ, quæ intra tres menſes ab huius Synodi celebratione id omninò executioni non demandauerit: idemque ordina-

dinamus quo ad Nouitias, & earum Magiſtram, ſub eadem pœna: Nouitia verò quælibet per duos annos, vel plures, iuxta cuiuſque inſtitutum, ſub eadem Magiſtra, & in eodem Nouitiatu poſt emiſſam profeſſionem permaneat.

3. In quolibet Monaſterio eligant Magiſtram Nouitiarum, & aliarum educandarum, quando ſit electio Abbatiſſæ; quarum etiam officium eodem tempore perdurabit; nec vnquam vacet, quamuis Nouitiæ, vel educandæ in Monaſterio non ſint; quod totum præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſub obligatione culpæ lætalis, à qua niſi à Nobis abſolui poſſit; nec amplius vlla Nouitia, vel educanda in Monaſterio admittatur, quin prius in ſcriptis ante ipſius admiſſionem Abbatiſſa Curiam Noſtram de prædictorum obſeruantia docuerit; quod fieri poterit in calce fidei acceptationis his verbis.

4. Io infraſcritta fò fede, che in queſto Monaſtero vi ſono Maeſtre delle Nouitie, & dell'Educande, e luoghi ſeparati per le medeſime, e che vi ſi oſſerua quanto dalla S. Congr. ſopra Veſcoui, e Regolari alle Monache ſi comanda in ordine al potere hauere nel Monaſtero Educande, &c. Io N. N. Abbadeſſa di S. N. affermo quanto di ſopra.

5. Nouitiæ ſub diſciplina ipſarum Magiſtrarum permaneant; cum Monialibus Profeſſis non colloquantur, niſi de rebus omninò neceſſarijs; & pro his tantùm ad crates deſcendant, & cum Abbatiſſæ, ac Magiſtræ licentia; neque officio fungi poſſint, quod eas ſæcularium colloquio, vel aſpectui exponat.

6. Quando eliguntur Abbatiſſa, & Magiſtræ, eligantur etiam ex ſenioribus Ianitrices, ſeu Rotariæ, quæ Auſcultatrices erunt, & aſſiſtent deſcendentibus ad crates, & colloquentibus cum ſæcularibus; nec vlla Monialis audeat ad eaſdem crates abſque licentia deſcendere.

7. Nulla Monialis profeſſa, vel Nouitia, nec etiam

Puella

Puella educanda cum alia, licet conſanguinea, in eodem lecto dormire poſſit; neque cum perſonis extra Clauſuram exiſtentibus loqui, niſi in ipſo ordinario collocutorio; ad eamq; nunquam hoc fiat ad ianuam, neque apertam, neque apud eas, vel apud Crates cum externis, licet conſanguineis in primo gradu, comedere, vel inſtrumenta muſicalia pulſare, aut canere, choreas ducere vlla præſumat; quæ omnia diſtrictè prohibemus, quemadmodum etiam admitti intra Clauſuram infantem aliquem, ſeu puerum, aut puellam; & idem dicimus de catulis, & catellis, ſub grauioribus pęnis arbitrio noſtro infligendis.

8. Epiſtolas nulla recipiat, vel foras mittat abſque Abbatiſsæ licentia, quæ illas cum libuerit, videre, vel legere poſſit, ſub pœna ieiunij in pane, & aqua, toties, quoties.

9. Habeat vnumquodque Monaſterium Campanulã, qua Moniales vtantur ad vocandas Ancillas, ſeu Famulas, & ad alias opportunitates, præſertim de nocte, ne vox Monialium extra Clauſuram à quoquam audiri poſſit.

10. Abbatiſſa, vel alia ad quam ſpectauerit, notet fideliter redditus, & expenſas Monaſterij, vt de ijs quolibet anno rationes reddere valeat.

11. Ornamenta, & ſupellectilia Eccleſiæ Moniales nulli commodari poſsint, ſub pęna contrauenienti vnius ieiunij in pane, & aqua pro vnaquaque vice: Neque feſta particularis deuotionis alicuius Monialis expenſis Monaſterij fiant.

12. Quolibet die ſummo mane Moniales omnes etiã Nouitiæ, & Educandæ faciant Orationem mentalem in communi, ſaltem per mediam horam, vt eis reliquo diei tempore ad deuotè viuendum inſeruiat.

13. Ad Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ quintodecimo quoque die, ſaltem, accedant; quod tamen longè frequentius ab eis fieri optamus, vt Sancti Spiritus

Digitized by Google

gratia vberius repleantur, & ad perfectionis apicem faci-lius aſcendere poſſint.

14. Feneſtellæ pro Sacra Communione pro ea tantùm aperiantur, nec eis ad alium finem vlla vti poſſit, niſi fortè ad præbenda neceſſaria pro celebratione Miſſarum; & hoc in illis duntaxat Eccleſijs, in quibus Rota non extat, nec fieri poteſt.

15. Nullus Sacerdos ſæcularis, vel Regularis celebrare poſſit in Eccleſijs Monialium abſque Noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis, & per Diœceſim Foranei licentia in ſcriptis, quam Confeſſario oſtendere teneatur; ſub pęna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum per menſem.

16. Nemo, ſiue laicus, ſiue Clericus ſęcularis, aut Regularis audeat loqui cum aliqua Moniali, etiam exempta, vel cum vlla intra Clauſuram degente, abſque Noſtra, vel Vicarij Generalis licentia, vel quo ad ſæculares per Diœceſim Vicarij Foranei in ſcriptis, ſub pęna noſtro arbitrio infligenda; quam extendimus ad Moniales ipſas, & ad quamcunque aliam intra Monaſterium commorantem, quæ cum aliquo ex prędictis loquantur, ſi eum nouerit licentiam non habere.

17. Grauiter etiam plectemus omnes, & quoſcumque ex prędictis, compræhendẽdo etiam Moniales, & alias degentes in Clauſura, quoties miſerint, aut receperint litteras, libros, Nuncios, aut dona, ſeu res alias ad malum finem, vel in quibus aliquid contra honeſtatem malè oleat; & ita etiam dantes auxilium, fauorem, & operam.

18. Electus in OEconomum alicuius Monaſterij officium exercere non poſſit, niſi prius à Nobis fuerit acceptatus, & in Noſtra Cancellaria deſcriptus, ſub pęna prædicta; quam etiam incurrat Monialis illa, quæ cum OEconomo loqui audebit, ſi eum ſciuerit à Nobis non fuiſſe approbatum. OEconomi ritè electi, etiam à Nobis approbati, cum ijs tantùm Monialibus loqui poſſint, quæ Monaſterio præſunt, vel etiam cum alijs, cum qui-

bus

Digitized by Google

bus de rebus agere debent ad œconomiam ſpectantibus; quod etiam è conuerſo Monialibus ipſis præcipimus.

19. Eccleſiæ Monialium, & ipſarum crates, ſeu collocutoria non aperiantur ante ſolis ortum, & poſt eius occaſum omnino claudantur.

20. Moniales omnes proprij Inſtituti regulas, conſtitutiones, & bonas conſuetudines exactè obſeruare ſatagant: quinimmo & actus ſupererogatorios præſtare curent, vt vltra, non citra debitum Deo deſeruiant, qui vltra, non citra condignum dona, & præmia largitur.

21. Cum in viſitatione Monaſteriorũ Noſtrę Diœceſis ea repererimus paupertate valde grauatá, nec diu ita ſubſiſtere poſſe; & alijs iuſtis de cauſis, mandamus conſuetę doti pro Moniali Choriſta in poſterum addi quinquaginta ſcuta monetę Romanę, pro Cõuerſis verò viginti quinque; nec aliter vllam poſt hac ſh. Monaſterium ad religioſum habitum admitti volumus; cum hoc tamen, quod ceſſantibus indigentijs, & cauſis, quibus mouemur ad augendas dotes, ſit in Noſtro arbitrio, eas reducere in priſtinum amoto dicto augumento.

CAPVT XXXVIII.

De Seminario Clericorum.

1. VT ſimplex Adoleſcentium innocentia virtutibus, & litteris imbuatur, eorum præſertim, qui per Clericatũ Deo inſeruire cupiunt, Seminaria inſtituta ſunt; vbi propterea ſummo ſtudio, & coli, & cuſtodiri debent, nè vitia, & cum vitijs cęcitas mentis, eorum famulæ, furtiuè ingrediantur, qua virtuti, & eius ſociæ ſapientię ſternitur via.

2. Caueat idcirco Seminarij Præfectus, nè Mulieres ſub aliquo pretextu in Seminarij ſepta ingredi permittat

ſub pœna priuationis officij permittenti, & excommunicationis latę ſententiæ nobis reſeruatæ Mulieribus ingredientibus; quam pœnam ad eos etiam extendimus, qui eiuſdem Seminarij ſepta diabolico inſtinctu, clam, ſeù per vim ingredi attentauerint.

3. Per horę quadrantem mane, ac veſpere faciant orationem mentalem; recitabūt quoque mane poſt dictas orationes Litanias Beatiſſimæ Virginis; Veſpere autem, omnium Sanctorum. Quotidie ſacrum audiant, & eidem inſeruire diſcant. Tempore Quadrageſimæ, & Aduentus in noſtra Cathedrali Concionibus aſſiſtant.

4. Prandio, & Cœnæ benedictionem prę mittant, eiſque expletis gratias agant.

5. Diebus feſtiuis exerceant ſe in recitando Memoriter Doctrinam Chriſtianam, & recitent Officium Beatiſſimę Virginis. Reuerenter admodum cum Superioribus loquantur, eoſque obuios capite diſcooperto, & inclinato ſalutent.

6. Nullus alterius cubiculum ingrediatur, ſub pœna Ieiunii per integrum diem in ſolo pane, & aqua; neque in oſtio cubiculi colloquantur.

7. Ad oſtium Seminarij nemo deſcendat abſque licentia; & ea obtenta ſe cito expediat.

8. Nullus loquatur tempore ſilentij; & in recreatione tres ad minus ſimul erunt, & de rebus proficuis agent.

9. Annulos non deferant, neque Chirotecas, Caligas, aut quidquam aliud, quod modeſtiam, vel quo ad colores, vel quo ad ornatum, offendat.

10. Nullus mutuo quidquam det, aut accipiat abſq; licentia; neque epiſtolas ſcribat, vel recipiat, niſi eas Superiori oſtendat.

11. Cum quis infirmatur Superiorem admoneat.

12. Mundiciem, & nitorem vbique cuſtodiant, & ſuum vnuſquiſque cubiculum bis in hebdomada verrat.

13. In Refectorio ſilentium obſeruent, & in eo quiſque

que per turnum leget in ſua hebdomada; nec vllus in Refectorium extra tempus Cœnæ, vel Prandii, neque in coquinam ingredi audeat abſque licentia.

14. Per vias cum nemine loquantur; neque locum aliquem ingrediantur; ſed eant, qua ducuntur, & in omnibus extra Seminarium ductori pareant.

15. Qui licentiam obtinuerint inuiſendi ſuos, & eundi ad propriam domum, tempus conceſſum non excedant; ſed, eo lapſo, ſtatim reuertantur ad Seminarium, alias minimè in eo admitti poſſint abſque noſtra licentia.

16. Arma, vel etiam minutiſſima, nullatenus deferant, ſed cum eis gladiolo, ſeu cultro, & forcipibus opus fuerit, à Pręfecto accipiant, & ſtatim poſt vſum reſtituãt.

17. Si quid potabile, aut comeſtibile alicui Seminariſtæ datum fuerit, id inter omnes à Pręfecto diſtribuatur, nec vllus quidpiam particulare habeat.

18. Quilibet Seminariſta talarem veſtem habeat violaceam, & ſuper eam aliam, quam dicunt (ſoprana) eiuſdem coloris; neque vnquam ſine illis è Seminario egredi audeat; ſed in eo etiam veſte nigra vti poterit.

19. Nullus in Seminario admittatur, qui prius non dederit cautionem de reſtituendis alimentis, ſi fortè ad ſtatum laicalem tranſierit, & qui decimum tertium annum ętatis non dum exceſſerit; neq; in eo amplius retiner poſſit, qui vigeſimum primum compleuerit.

20. Similiter nullus admitti poſſit, qui prius à Nobis, vel ab alio de noſtra commiſſione, non fuerit examinatus, & approbatus.

21. Singulis quindecim diebus confiteantur Confeſſario à Nobis eis aſſignando, & Sacroſancta Euchariſtia reficiantur in propria Eccleſia, vel in alia, de Dominorũ Rectorum licentia.

22. Nullus permittatur loqui apud Ianuam Seminarii, niſi cum perſonis ętate prouectis, & cum Conſanguineis.

Vaca-

23. Vacationes à ſtudiis erunt, à Vigilia Natiuitatis Domini vſque ad ſecundum diem Ianuarii; à Feria 4. Dominicæ Sexageſimæ vſque ad feriam quartam Cinerum; à Sabato Sancto maioris hebdomadę vſque ad diem Mercurii intra octauam Paſchatis; à Sabatho ante feſtum Pentecoſtes vſque ad diem quartam eius octauæ. Pro vindemiis autem erunt ad quindecim dies, iuxta dictorum Rectorum diſpoſitionem: ſed etiam his temporibus Seminariſtæ omnes huius Ciuitatis aſſiſtant Noſtræ Cathedrali, quoties à Nobis Pontificalia exercebuntur; & qui ſecus fecerit, in Seminarium abſque noſtra licentia non amplius recipiatur: Aliis verò temporibus nullus ex Seminario abeſſe poſſit abſque licentia in ſcriptis dictorum Dominorum Rectorum cum limitatione temporis, quam Prefecto tradere teneatur.

CAPVT XXXIX.

De Concubinarijs, & Meretricibus.

1. QVi luxuriæ cœno inuoluuntur, adeo ſuo malo miſerè delectantur, vt ab eo nullatenus extrahi velint, & oderint, quos cura, vel amor ad eos inde liberandos compellit. Nos tamen, ipſorum inſaniam, & phreneſim, paterno affectu commiſerantes, pro eorum ſalute decernimus, quod Concubinarii laici ter admoniti non reſipiſcentes, in excommunicationem incidant latæ ſententiæ, à qua, niſi omninò à concubinatu receſſerint, nullatenus abſolui poſſint. Clerici verò Beneficiati, ſi primæ admonitioni non paruerint, priuentur tertia parte fructuum ſuorum Beneficiorum; ſi ſecundę renuerint, omnibus fructibus, et Beneficiorum adminiſtratione, ſeruata forma Concilii Tridentini, ſpolientur: ſi tandem neque poſt tertiam ſe à concubinatu abſtinuerint, Beneficia,

ficia, Officia, Penſioneſque ammittant, et ad alia acquirenda reddantur inhabiles; et, ſi adhuc incorrigibiles fuerint, excommunicentur. Clericos autem non Beneficiatos, neque de Penſione prouiſos, pro ratione contumacię plectemus.

2. Mulieres quoque, ſiue liberæ, ſiue coniugatę hoc malo irretitę, poſt tertiam monitionem, niſi reſipuerint, pœna fuſtigationis, et exilii punientur: contra quas, & cōtra quoſcumq; concubinarios, etiam ex officio, nemine accuſante, procedi poſſit, & eos nobis Parochi ſedulo denuncient. Meretrices, et alias Mulieres inhoneſtas in Cauponis, Tabernis, et diuerſoriis inhabitare prohibemus, niſi tantum itineris cauſa, vno, vel altero die, ſub pęna arbitrio noſtro infligenda, etiam hoſpitantibus: hora 24. pulſata domo non exeant, et ſi extra illam vagantes inuentę fuerint, prima vice in carcerem detrudantur, ſecunda exilii pœnam incurrant; et ſub eadem pœna eis prohibemus, domi ſub quouis prætextu puellas habere, nè ipſarum mores corrumpant.

3. Meretricium exercentes propè Monaſteria Monialium, vel Mulierum honeſtarum domos, pręſertim vbi virgines reperiuntur, nullatenus habitare poſſint, ſub pœnis arbitrio.

4. Si quis eo impudentię deuenerit, vt etiam tempore Aduentus, vel Quadrageſimæ, vel in vigiliis, aut feſtis diebus, ſeu feria ſexta ad eas accedat, arbitrio noſtro plectendus erit. Lęnones verò, præter pœnas à legibus, et S. Canonibus inflictas, etiam exilii à tota noſtra Diœceſi incurrant.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XL.

De Pœnis.

1. POenas in his noſtris conſtitutionibus non expreſſas, exprimendi; et expreſſas, iuxta facti exigentiam, augendi, etiam ad corporis afflictiuas, vel eas moderandi, facultatem noſtro arbitrio reſeruamus; et in delictis quoad correctionem, per extra iudicialem, vel Teſtium Synodalium informationem; quo verò ad iudicialem punitionem, etiam per iuridicam inquiſitionem, procedi poſſe decernimus.

2. Pœnas verò pecuniarias (vbi in his conſtitutionibus non cauetur, cui loco ſint applicandæ) ſemper ſic diſtributas volumus, vt earum vna pars Accuſatori, duę Locis Piis, et quarta Executoribus deuoluatur. Vocabulo autem aurei ſcutum Romanum decem iuliorum intelligi volumus; vbi verò cenſuras latę ſententiæ apponimus, eas à contumacibus, et inobedientibus ipſo facto, et abſq; alia ſententia, vel declaratione incurri declaramus.

3. Denique conſtitutiones omnes in hac Synodo promulgatas, vim legis habere, ac ſi omnibus, et ſingulis intimatæ fuiſſent, poſt duos menſes ab hac die computandos, et ad omnimodam obſeruantiam omnes prorſus, et quoſcumque noſtræ Paſtorali curę ſubiectos obligare decernimus; et ſi quæ difficultas, aut dubium oriatur, noſtrum omnino erit decidere, ac declarare, et ſemper iuxta eum ſenſum, quem tenet, et tenuit Sancta Romana Eccleſia omnium aliarum Eccleſiarum Mater, et Magiſtra; et ita Nos in præfatis omnibus tenere profitemur, nec aliter intelligimus, aut ſentimus.

Datum Typherni in Noſtra Cathedrali Eccleſia Sãctorum Floridi, et Amantij die 7.8.& 9.Nouembris 1674.

Exhor-

Exhortatio ad harum Conſtitutionum obſeruantiam.

NIhil eſt in his legibus, quod, vel Dei cultum, vel Animarum ſalutem non intueatur, & quærat: adeoque ſpontè ab vnoquoque ſeruari deberent. Iubentur tamen, vt obſequentibus meritum, & debitum contumacibus augeant. Melior eſt obedientia, quam Victimæ (vt nos docet Veritatis Oraculum 1.Regum c.15.) quoniam, quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere. Præfertur obſequium Sacrificio: contumacia ſuperſtitionibus comparatur. Eminentiſſimus Bona in ſua Manuductione ad Cœlum cap. 24. num. 2. ſic ait: ſuſcipiendum eſt ſuperioris Edictum veluti emiſſa Diuinitus vox, nulla quæſita Præcepti cauſa, vel motiuo. Neſcit iudicare, qui perfectè didicit obedire. Moneat Superior; iubeat Lex; dicat, quid me velit facere: non diſco, non diſputo, non excuſo; ſed ſimpliciter, & velociter pareo, paratus ad omnia, ſeù facilia, ſeù ardua pari gaudio, & promptitudine exequenda. Vnum eſt, in quo Refractarius, & contumax eſſe poſſis; ſi quis, nimirum, à bono te retrahat, & aduerſus legem impellat. Cætera omnia conſtanter, & ſine murmure exequi debes. Hæc ille. Parendum eſt igitur hiſce legibus, virtutis amore, præmijque fiducia; ſed, quia hæc non omnes alliciunt, earum obſeruantiam metus inculcat: Ipſarum enim fractores occultos Deus vlciſcetur; manifeſtos autem, & Deus ipſe, & data Nobis ab eo poteſtas. Laudabimus, amplectemur, prouehemus harum legum fideles executores; contemptores verò, monente Apoſtolo, arguemus, obſecrabimus, increpabimus, in eoſque armabimur, & zelo diſciplinę, & Iuſtitiæ vindicta: nec vtique timebimus iracundiæ notam, quam plerumque Iudex, dum plectit, dum reprehendit, incurrit; nam, teſte Diuo Chryſoſtomo

ſuper Matthæum , & Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 158. art. 8. ad 6. Qui cum cauſa non iraſcitur, peccat; patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit; & non ſolum malos, ſed etiam bonos inuitat ad malum.

De Examinatoribus Synodalibus.

IVxta Sac. Concilii Tridentini Decretum in Examinatores Synodales eligimus,& deputamus infraſcriptos, quorum Officium durabit vſque ad aliam proximam futuram Synodum. Hi autem omnino caueant, nè quid reſpondendi ſit, edoceant, ſub pœna periurij; & tam ipſi, quam iidem examinandi ſimoniacas donationes euitent, ſub pœnis à Sac. Canonibus contra Simoniacos impoſitis.

Examinandus ad Beneficia de iure patronatus, antequam canonicè inſtituatur, Iuramentum pręſtet, quod nihil omnino dederit, vel promiſerit ſe pręſentantibus.

Synodales igitur Examinatores ſunt, qui ſequuntur.

Ex Ciuitate.

Reuerendiſſimus D. Hieronymus Sebbrius I. V. D. Vicarius Generalis, & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admodum R.D. Nicolaus Longinus Præpoſitus I. V.D. & Prothonotarius Apoſtolicus.

R. D.Floridus Vcellarius, Canonicus Philoſophię, ac S. Theologię licentiatus.

R. D. Antonius Carſidonius S. TheologiæDoctor, Canonicus Theologus.

V. Præsbyter Martinus Pauluccius I. V. D. & Prothonotarius Apoſtolicus, nunc Canonicus Cathedralis.

V. Ioannes Carolus Gobbius, Prior Sancti Angeli.

V. Antonius Guazzius,Iuris Canonici Doctor,Prior Sancti Ioannis in Campo.

Pater

Pater Stephanus Cæleſtinus Gagliardi, Congregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij Præpoſitus.

Pater Aloyſius Ceccolus I. V. D. Congregationis Oratorii Sancti Philippi.

Pater Thomas Politianus ex Ordine Prędicatorum Prior, Theologiæ Lector, ac Sancti Officij Vicarius.

Pater Magiſter Bartholomæus Melini ex Ordine Conuentualium Sancti Franciſci.

Ex Diœceſi.

R. D. Franciſcus Antonius Oliua I. V. D. & Collegiatæ Montoni Archipresbyter.

Ven. Vincentius Ferianus I. V. D. Archipresbyter Petræ Longæ.

Ven. Ioſeph Melioratus I. V. D. Archipresbyter Agilioni.

Ven. Antimus Giolli I. V. D. Archipręsbyter de Ronti.

Ven. Ioannes Baptiſta Rainerius Archipresbyter Lipiani.

Ven. Franciſcus Maria Roſatus, Archipresbyter Sancti Iuſtini.

Ven. Carolus Ghiſius, Archipresbyter Apiculi.

V. Ioannes Baptiſta Rampaccius I. V. D. Prior Sanctæ Crucis de Citerna.

De Iudicibus Synodalibus.

CVm Sac. Concilium Tridentinum peculiares conditiones requirat pro eligendis in Iudices Synodales, quibus & cauſę Apoſtolicæ vigore delegationis, & Religioſorum Ordinum conſeruatorię litterę committi poſſint, à Nobis infraſcripti ad hoc officium eliguntur.

Reuerendiſſimus D. Hieronymus Sebbrius Vicarius Generalis I. V. D. & Prothonotarius Apoſtolicus.

R. D. Nicolaus Longinus I. V. D. Prępoſitus, & Prothonota-

thonotarius Apoſtolicus.
R. D. Carolus Fruccius Canonicus.
R. D. Floridus Vcellarius Canonicus, & Philoſophiæ, ac S. Theologiæ licentiatus.
R. D. Ioannes Antonius Melioratus Canonicus I. V. D.
R. D. Nicolaus Randolus Canonicus.
R. D. Alphonſus Martius Canonicus I. V. D.

De Teſtibus Synodalibus.

EX veteri conſuetudine, & à Sac. Canonum decretis introductum eſt, vt in ſingulis quibuſcumq; Synodis Diœceſanis aliquot viri eligantur, vita, & moribus probati, & zelo diſciplinæ Clericalis inſignes, qui diligenter aduertant, num aliquid, vel in hac Vrbe, vel in Diœceſi corrigi, & emendari debeat; &, ſi quid huiuſmodi cognouerint, id Nobis, vel Noſtro Generali Vicario ſignificent; & cum fuerint de re aliqua interrogati, integro, & fideli referant teſtimonio. Quos igitur iuxta vetus inſtitutum huic muneri deſtinamus, Nobis tantùm, & Noſtro Vicario Generali cognitos eſſe ſinemus.

De Officialibus Cleri.

PRo Cleri beneficio diuerſos Officiales eligimus, & deputamus, quorum munia, et nomina ſunt infraſcripta.

Rectores, & Adminiſtratores Seminarij.

R. D. Carolus Fuccius Canonicus.
R. D. Floridus Vccellarius Canonicus.

Praſi-

Præfecti Spirituales Carceratorum.

V. Antonius Ottolinus, Prior Sanctæ Mariæ Nouæ.
V. Pius Randolus, Prior Sancti Georgij.

Præfecti Diſciplinę Clericalis in Ciuitate.

Pater Stephanus Cęleſtinus Gagliardi, Præpoſitus Congregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij.
Pater Franciſcus Maria Caromius.

Præfectus notitiæ Defunctorum.

R. D. Canonicus Antonius Carſidonius I. V. D. Canonicus Theologus.

Ex Diæceſi.

Omnes VV. Archipresbyteri.

Aduocatus Pauperum Clericorum.

R. D. Canonicus Antonius Carſidonius I. V. D. Canonicus Theologus.

Procurator eorumdem.

V. Martinus Pauluccius I. V. D. Prothonotarius Apoſtolicus, nunc Canonicus Cathedralis.

Reuiſores computorum omnium Piorum locorum, præſertim cum ab Epiſcopo viſitantur.

R. D. Floridus Vccellarius Canonicus, Philoſophiæ, ac S. Theologiæ licentiatus.

R. D. Mar-

Digitized by Google

R. D. Martinus Paoluccius I. V. D. Prothonotarius Apoſtolicus, nunc Canonicus Cathedralis.
V. Carolus Gobbius, Prior Sancti Angeli.
V. Antonius Ottolinus, Prior Sanctæ Mariæ Nouæ.
V. Pius Randolus, Prior Sancti Georgij.
V. Antonius Guazzius, S.Can. Doctor, Prior Sancti Ioannis in Campo.
Ioannes Baptiſta Dominichinus Computiſta.

Notarii Synodalis rogitus.

SVpradictæ Conſtitutiones, & Synodalia Decreta, ſæpius in priuatis Congregationibus à Viris Prudentià, ac pietate præſtantibus, ſedulò, & multa cum maturitate diſcuſſa, in præſentia Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Fratris Ioſephi à Sancta Maria de Sebaſtianis, miſeratione Diuina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Ciuitatis Caſtelli, Clero Vniuerſo Ciuitatis, & Diœceſis Tiphernaten. in Eccleſia Cathedrali dictæ Ciuitatis, ſeruatis de more ſeruandis legitimæ Congregato, per Admodum R. D. Io: Baptiſtam Eleoſarium Canonicum Lectorem Synodalem alta, & intelligibili voce lecta fuerunt, & publicata, Anno à Sanctiſſima Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecima, diebus verò ſeptima, octaua, & nona Menſis Nouembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Clementis Diuina Prouidentia Papæ Decimi Anno eius quinto, multis ibidem præſentibus, & audientibus, & in ſpecie R.D. Hieronymo Gobbio, & R. D. Io: Baptiſta Sediaro Presbyteris dictę Ciuitatis Teſtibus ad præmiſſa omnia habitis, vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Loco † Signi

Franciſcus Ignatius Lazzarus Tiphernas Curiæ Epiſcopalis, & Synodi Cancellarius rogatus &c.

Nè

NE, vt olim.prçcipua Decreta,quę in fauorẽ Noſtrũ, ſeu Noſtri Cleri, vel Curiæ, hactenus ex pluribus Sac.Congregationibus emanarunt,ſubripi,aut ammitti poſſint, Nos, prudentiſſimorum Prçſulum exempla ſecuti, ea hìc imprimi iuſſimus, cum aliquot alijs ad rem facientibus, cæteris ob eorum multitudinem prætermiſſis.

CIuitatis Caſtelli. Die Iouis 29. Nouembris 1618. Decretum aliàs ab hac Sac.Rit.Cõgregatione emanatum ſub die 21. Iunij 1597. (nempe, Magiſtratum diuinis officijs Eccleſiæ Cathedralis diebus ſolemnibus,attento veteri vſu,interuenire debere) ſeruandum eſſe, ac Magiſtratum prædictum illi omnino parere debere cenſuit eadem Sac. Rituum Congregatio. A. M. Epiſcopus Oſt. Cardinalis Gallus. Petrus Ciamareconus Secretarius loco ✝ ſigilli.

CIuitatis Caſtelli. Conqueſtus eſt Procurator Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Ciuitatis Caſtelli, Magiſtratum eiuſdem Ciuitatis cõſueta obſequia Epiſcopo præſtare renuere,eum, ſcilicet, ſolemnijs in Cathedrali peractis ad Ianuam Eccleſiæ aſſociandi. Sac. autem Congregatio reſcribi mandauit,Magiſtratum prędictum compelli poſſe,ad ſolita obſequia diebus conſuetis omnino præſtanda. die 2.Iulij 1661. I. Epiſcopus Sabinen. Card. Sacchettus. Gratis etiam quoad ſcripturam Franciſcus Maria Phæbeus Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

NOs Scipio S. Romanæ Eccleſiæ Præsbyter Cardinalis S. Suſannæ fidem facimus, & atteſtamur, in regiſtro litterarum Sac. Congregationis Concil. extare litteras ad Vicarium Peruſinum vna cum libello Infraſcripti tenoris videlicet. Adm. Reu. D. Cum actum

actum eſſet in Sac. Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum de aſſeruatione ſcripturarum fori Epiſcopalis Ciuitatis Caſtelli inter Epiſcopum, & Communitatem eius Ciuitatis, Sac. Congregatio, auditis partibus, cenſuit, ſcripturas omnes rogatas à Cancellario Epiſcopali tanquam illius Curiæ Cancellario eſſe aſſeruandas, & cuſtodiendas in Cancellaria ipſius Epiſcopi; Et, nè in huiuſmodi ſcripturarum ſeparatione oriantur controuerſię, & ſcandala, tibi, quod facimus, committendum duxit, vt illuc te transferas; & Scripturas in folio his litteris adiuncto exaratas, ac ſi quæ aliæ rogatæ fuerint à Cancellario Epiſcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, ſepares à ſcripturis Archiuij Communitatis, & ad Cancellariam ipſius Epiſcopi deferendas cures; quod pro tua diligentia ſedulo efficies, & bene valebis in Domino. Romę die 19. Septembris 1625.

IN cauſa aſſeruationis Scripturarum inter Epiſcopum, & Communitatē Ciuitatis Caſtelli Sac. Congregatio, partibus auditis, iam cenſuit, Scripturas omnes rogatas à Cancellario Epiſcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ, eſſe aſſeruandas, & cuſtodiendas in Cancellaria ipſius Epiſcopi: nunc ad euitandas diſſenſiones, & ſcandala, quæ in ſeparatione huiuſmodi Scripturarum oriri poſſent, ſupplicatur eidem Congregationi, vt pro conſueta benignitate dignetur declarare infraſcriptas ſcripturas ad Curiam Epiſcopalem pertinere, cum clauſula, & ſi quæ aliæ.

Proceſſus, & acta ciuilia, criminalia, & mixta facta in foro Epiſcopali &c.

Sententiæ in eiſdem cauſis latæ.

Compoſitiones cum reis inquiſitis in Curia Epiſcopali.

Præcepta, & decreta quæcumque inter perſonas Eccleſiaſticas, aut etiam laicas, in cauſis, & negocijs ſpiritualibus,

tualibus, vel alijs ad forum Eccleſiaſticum pertinen.
Edicta cuiuſuis generis.
Statuta, & Ordinationes Eccleſiarum.
Mandata Procuræ pro gerendis negocijs Epiſcopatus.
Scripturæ mulctarum, & pœnarum.
Item Supplicationum, & abſolutionum.
Acta Synodi.
Viſitationes Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Piorum Locorum, eorumque decreta.
Regiſtra Bullarum Apoſtolicarum ad eandem Curiam directarum.
Collationes, & Inſtitutiones Beneficiorum, eorumque concurſus, & renunciationes, ac permutationes, & Scripturæ omnes Beneficiales.
Inſtrumenta traditionis poſſeſſionis eorumdem Beneficiorum.
Vniones Beneficiorum.
Erectiones Parochialium Beneficiorum, Cappellarum, & Fontis Baptiſmalis.
Acta cognitionum canonizationum Patronatus tam Clericorum, quam Laicorum, ſeu mixtorum.
Scripturæ concernentes executionem diſpenſationum matrimonialium, & aliarum litterarum Apoſtolicarum.
Remiſſiones denunciationum, Diuortia, & aliæ Scripturæ matrimoniales.
Explorationes voluntatum Nouitiarum, licentię profitendi, & aliæ huius generis Scripturæ ad Monaſteria Monialium ſpectantes.
Interpoſitionis authoritatis, & decreti in renunciatione Nouitiarum, & alienationibus aliarum perſonarum fori Epiſcopalis, & Inſtrumenta dotis Monialium.
Licentia accedendi ad Monaſteria Monialium, aut in eas ingrediendi.
Scripturæ conſecrationis Eccleſiarum, Altarium, Cemeterio-

teriorum, campanarum, & huiuſmodi.
Item Profeſſionis Fidei.
Item Scripturæ Viſitationis Liminum.
Scripturæ ordinationis, & collationis Chriſmatis.
Monitoria ad finem reuelationis.
Approbationes Confeſſariorum, & Curatorum.
Dimiſſoriæ, & commendatitię.
Licentiæ pro Parochis, Canonicis, & alij Clericis abſcedendi è Diœceſi cum litteris teſtimonialibus.
Scripturę erectionis, & Inſtitutionis Seminarij.
Item Locationis in Emphyteuſim bonorum Epiſcopalium, ac aliorum bonorum Eccleſiaſticorum.
Sac. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, ſcripturas ſuperius expreſſas, ac ſi quæ aliæ rogatæ fuerint à Cancellario Epiſcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ eſſe aſſeruandas in Cancellaria ipſius Epiſcopi.
In quorum fidem has noſtras literas, quibus propria manu ſubſcripſimus, fieri, & ſigilli noſtri impreſſione communiri iuſſimus. Datum Romæ die 15. Nouembris 1625. Scipio Cardinalis S. Suſannæ. Proſper Fagnanus, loco ✝ ſigilli.

Ciuitatis Caſtelli Aſſeruationis Scripturarum.

IN Epiſtola Sac. Congregationis directa Vicario Peruſino ſub die 17. Septembris 1625. ita legitur: Admodum & c. Cum actum eſſet in Congregatione Concilij de aſſeruatione Scripturarum Fori Epiſcopalis Ciuitatis Caſtelli inter Epiſcopum, & Communitatem eius Ciuitatis; Sac. Congregatio, auditis partibus, cenſuit, Scripturas omnes rogatas à Cancellario Epiſcopali, tanquam illius Curię Cācellario, eſſe aſſeruandas, & cuſtodiendas in Cancellaria ipſius Epiſcopi; & ne in huiuſmodi ſcripturarum ſeparatione oriantur controuer-

trouerſiæ, & ſcandala, tibi, quod facimus, committendum ducit, vt illuc te transferas, & ſcripturas in folio his literis adiuncto, exaratas, & ſi quæ aliæ rogatæ fuerint à Cancellario Epiſcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, ſepares à Scripturis Archiuij Communitatis, & ad Cancellariam ipſius Epiſcopi deferendas cures, &c. ſub num. autem 26. nominati folij legitur, *Scripturę Ordinationum, & Collationis Chriſmatis*. Ideo ad tollendas diſſenſiones, quæ oriri poſſent. Quæritur. Primo, an ſub hoc veniant Inſtrumenta conſtitutionis patrimonij, ad cuius titulum Clerici ordinantur, quæ rogantur à Cancellario Epiſcopali.

Secundo, an Inſtrumenta alienationum, ſeu permutationum bonorum Eccleſiæ, & alia, quæ fiunt in vim decreti deſuper interpoſiti ab Epiſcopo, vel eius Vicario, rogata ab eiuſdem Curię Epiſcopalis Cancellario, cenſenda ſint rogata ab eo tanquam Cancellario Epiſcopali, ita vt debeant ideo remanere in Cancellaria Epiſcopali.

Die nona Maij 1671. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum ad vtrumque reſpondit affirmatiuè. A. Card. Celſus Pręfectus. I. Archiepiſcopus Brancaccius Epiſcopus Viterbien. Sec. loco † ſigilli, gratis etiam quoad Scripturam.

Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. In Diœceſi Ciuitatis Caſtelli adeſt Conſuetudo, vt Clerici, etiamſi ſint Actores, trahant laicos ad Forum Eccleſiaſticum in cauſis ciuilibus prophanis, provt de eadem conſuetudine exhibetur teſtimonium ſexdecim Nobiliũ eiuſdem Ciuitatis; quia tamen aliquando accidit, vt laici ad effectum ſubterfugiendi, aut protrahendi Iudicium allegent ſe debere coram Iudice laico conueniri ex vulgata regula, quod Actor ſequitur Forum Rei, Epi-

ſcopus ad conſulendum ijs, qui cauſas agunt in ſuo Tribunali,& ad obuiandum reorũ ſubterfugijs ſupplicat DD. VV. Illuſtriſſimis, vt dignentur declarare.

An, ſtante huiuſmodi conſuetudine, laici poſſint, ac debeant in dictis cauſis trahi ad Forum Eccleſiaſticum?

An, Clerici poſſint in eiſdem cauſis conuenire laicos coram ſæculari Iudice abſque Epiſcopi licentia?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum ad primum reſpondet, huiuſmodi laudabili conſuetudine ſuppoſita, laicos vtique poſſe, ac debere ad Forum Eccleſiaſticum trahi.

Ad ſecundum, non poſſe abſque Epiſcopi licentia.

Com. Card. de Torres, loco † ſigilli. Proſper Fagnanus Secret.

IN cauſa exactionis obuli inter Curiã Epiſcopalem Ciuitatis Caſtelli, & Cõmunitatem eiuſdem Ciuitatis, Sac. Congregatio Cardinalium negocijs Epiſcoporum præpoſita, auditis partium Procuratoribus, & Aduocatis, atque Illuſtriſſimo Cardinali Sancti Sixti referente, cenſuit, eamdem Curiam eſſe manutenendam in quaſi poſſeſſione exigendi vnum obulum pro vnoquoque ſcuto in qualibet relaxatione mandati executiui. Romæ 14. Iulij 1628. I. A. Card. Sancti Honuphrij. loco † ſigilli. Proſper Fagnanus Secret.

DIe 14. April. 1646. Parochos non poſſe in Subcollectores, nec in Commiſſarios quocumq; titulo deputari, & huc vſque deputatos, in huiuſmodi officijs quoquo modo deſeruientes, eſſe amouendos; iſtoſque amotos, & alios quoſcumque amplius non deſeruientes in eiſdem officijs, non debere priuilegio exemptionis à Iuriſdictione, & correctione Epiſcoporum gaudere, etiamſi poſt deputationem renunciauerint, vel renuncient Eccleſias Parochiales, de quibus erant prouiſi,

cum

cum derogatione Conſtitutionis Gregorij XIII. & aliorum Summorum Pontificum, &c. Petrus Aloyſius Card. Carafa, loco † ſigilli, Franciſcus Paulutius Sac. C. C. Secr. gratis etiam quoad Scripturam.

SAc. Congr. Conc. ſæpius cenſuit in qualibet Diœceſi non eſſe deputandum niſi vnicum Subcollectorem, qui ratione Beneficiorum, extra illam non habeat reſidentiam, præſertim ratione Animarum curę. Nec illum exemptione gaudere in concernentibus onera diuinorum Officiorum, Miſſarum; adminiſtrationis Sacramentorum, vel bonorum Eccleſiarum, & ſimilium, nec in cauſis ciuilibus. Sorana 23. Martij 1658. Sutrina, & Nepeſina 14. Decembris 1658.

INſtante Epiſcopo Ciuitatis Caſtelli die 6.Maij 1645. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Sac. Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, Ioannem Baptiſtam de Angelis, & Hieronymum Santinum Rectores Eccleſiarum Parochialium non poſſe in Subcollectores deputari. F. Card. Portuenſis, loco † ſigilli, Franciſcus Paulutius Sac. Congr. Conc. Secr. Gratis etiam quoad Scripturam.

CIuitatis Caſtelli. Sac.Rituũ Congregatio ſuper controuerſijs ortis inter Epiſcopũ,& Canonicos Cathedralis Ciuitatis Caſtelli circa Aſſociationem eidem Epiſcopo debitam in ſolemnitatibus Cinerum, Candelarum,& Palmarum, audita relatione Epiſcopi,cenſuit ſeruandum eſſe Cæremoniale lib. 2.cap.16. 18. & 21. quacumque aſſ. capitulatione in contrarium per Canonicos præfatos allegata non obſtante, hac die 4. Auguſti 1674. Franciſcus Epiſcopus Portuen. Card. Brancaccius, loco † ſigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Congreg. Secr. Gratis &c.

Tiſer-

Tifernaten. ſeu Ciuitatis Caſtelli.

CVm Domus Epiſcopi Tifernaten. licet non contigua Eccleſiæ Cathedrali, eidem tamen ſit ſatis vicina, vt notum eſt, & Sac. Rituum Congregationi conſtat: Eadem Sac. Congregatio, vt aliàs ſæpè in ſimilibus, ita nunc ad inſtantiam Epiſcopi prædicti, declarauit, teneri Capitulum, & Canonicos in habitu Canonicali accedere ad Domum prædictam, ipſumque Epiſcopum Cappa indutum à Camera, ſeu loco deputato in eadē Domo ad Eccleſiam Cathedralem aſſociare, quotieſcumque Epiſcopus ad eamdem Eccleſiam ſolemniter celebraturus, vel vt Diuinis Officijs aſſiſtat, acceſſerit; & finita Miſſa, ſiue Officio, ipſum in eodem habitu ad eumdem locum reducere, & ita Sac. Congregatio Rituum cenſuit, & declarauit die 5. Iulij 1603.

Supradictum Decretum S. Rituum Congregationis refertur à Barboſa de Canonicis, & dignit. cap. 32. n. 3.

SAc. Congr. Eminentiſſimorū DD. Cardinalium Sac. Conc. Trid. Interpretum 22. Auguſti 1637. & 2. Iunij 1646. declarauit ad Epiſcopum ſpectare Viſitationem Montis Pietatis, & Hoſpitalis Proiectorum Ciuitatis Caſtelli; & hoc idem reſcripſit Epiſcopo, & Gubernatori eiuſdem Ciuitatis die 17. Martij 1674. ac tandem id etiam nouiſſimè declarauit prout ſequitur.

Ciuitatis Caſtelli Iuris viſitandi.

STantibus hinc indè deductis, tam pro parte Epiſcopi, quam pro parte Communitatis Ciuitatis Caſtelli, Quæritur.

Primo, an Epiſcopo Ciuitatis Caſtelli competat Ius viſitandi Hoſpitale Proiectorum dictæ Ciuitatis?

Secun-

Secundo, An idem Ius competat viſitandi Montem Pietatis eiuſdem Ciuitatis.

Die 30. Martij 1675. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auditis Partium Procuratoribus, & Aduocatis, omnibuſque maturè examinatis, & accurato ſtudio perpenſis, reſpondit, competere Epiſcopo ius viſitandi, tam Hoſpitale, quam Montem prædictum, iuxta formam diſpoſitionis eiuſdem Concilij cap. 8. ſeſſ. 22. de Refor.

Loco † ſigilli.

Fr. V. M. Vrſinus Card. S. Xyſti Præfectus.

S. Archiep. Brancaccius Epiſc. Viterb. Secr.

SAcra Cõgregatio Boni Regiminis pluries reſcripſit in prædictarum declarationum fauorem; nempè, ſub datis 2. Ianuarij 1646. 2. Iunij 1656. & 17. Mart. 1674. Ita etiam Sac. Congregatio Immunitatis Eccleſiaſticæ datis literis ad Epiſcopum, & Gubernatorem eiuſdem Ciuitatis die 20. Martij 1674.

Ciuitatis Caſtelli.

PRo parte Capituli, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Ciuitatis Caſtelli aduerſus illius Epiſcopum ſupplicatum fuit per Sac. Rituum Congregationem declarari infraſcripta.

Primum, quod ipſi Canonici teneantur in ſolemnioribus tantùm diebus accedere ad domum Epiſcopi, illumq; ad Eccleſiam venientem aſſociare, & finitis Veſperis, ſeu Miſſa Pontificali, debeant eumdem comitari ad oſtium d. Eccleſiæ, ad effectum, vt commodè redire poſſint in Chorum pro recitandis horis Canonicis, & reſpectiuè Completorio iuxta diſpoſitionem Ceremonialis Epiſc. lib. 2. cap. 1. in fin. ſtante diſtantia Pa-

latij

latij Epiſcopalis ab Eccleſia paſſuum ferè centum.
Secundum, quod ſub nomine feſtorum ſolemnium, veniant solummodò ea, quæ numerantur in Cæremoniali Epiſc. lib.2. cap.1. & 34. & in aliis feſtis per annum vt in diebus Cinerum, Candelarum, & Palmarum, Canonici ipſi non teneantur aſſociare, & reaſſociare Epiſcopum, provt in ſolemnioribus, etiamſi cum cappa accedat ad Eccleſiam.
Tertium, quod in aliis diebus infra annum, in quibus vellet Epiſcopus priuatè ad Eccleſiam accedere, duo Canonici tantùm occurrere debeant prædicto Epiſcopo venienti, inchoatis officiis, ad oſtium Eccleſiæ, & abeuntem, eiſdem non adhuc abſolutis, comitari ad dictum oſtium, ne diminuatur Diuinus cultus.
Et eadem Sac. Congregatio, vtraque parte informante, reſpondit.
Ad primum ſeruandum eſſe decretum Tifernaten. editum die 5. Iulii de anno 1603. ad fauorem Epiſcopi, in quo iniungitur Canonicis aſſociatio in acceſſu, & receſſu dicti Epiſcopi.
Ad ſecundum ſeruandum eſſe decretum Ciuitatis Caſtelli emanatum de anno 1674. die verò 4. Auguſti ad fauorem pariter Epiſcopi, in quo declaratum fuit, quod aſſociatio debeatur Epiſcopo etiam in diebus Candelarum, Cinerum, & Palmarum.
Ad tertium ſeruandum eſſe Ceremoniale. Et ita declarauit die 13. Iulij 1675.

V. Card. Carpineus.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong: Secr.

Aliquot

Aliquot Declarationes Sacræ Congregationis Concilij Tridentini circa reſidentiam Curatorum.

Rectores Curati, licet habeant Vicarios amouibiles, ſiue Coadiutores, tenentur & ipſi nihilominus iuxta Decreta Concilij, & Summorum Pontificum perſonaliter reſidere.

Abeſſe à ſuis Parochijs Parochi non poſſunt, licet adſit iuſta cauſa, & in Parochiis relinquant Vicarios idoneos ab ipſo Ordinario approbatos, niſi cauſa cognita, approbata ab Ordinario, & ab eodem in ſcriptis obtenta licentia. Abſentes autem, ſine tali licentia, etiamſi iuſtam abſentiæ cauſam habuerint, non euitant culpam peccati, neque pœnam amiſſionis fructuum, quamuis per paucos dies abſuerint, niſi repentinus aliquis caſus eos excuſet.

Epiſcopus cum Curatis, nè reſideant, diſpenſare non poteſt; licet poſſit declarare legitimam cauſam non reſidendi, propterquam diſcedendi à reſidentia licentiam concedere poteſt; non tamen vltra duos menſes.

Legitimæ, ſeu iuſtæ cauſæ, propter quas excuſari quis debeat à reſidentia, non iudicantur ſenectus; tenuitas fructuum; odium Parochianorum; aeris intemperies; quod Eccleſia reſidentia parum diſtet à Ciuitate, vndè cōmodè poſſit ſingulis diebus feſtis Curatus adire Eccleſiā; quod Epiſcopus eius Curati opera vtatur in Viſitatione, vel pro ſeruitio Cathedralis Eccleſiæ, aut Seminarij vltra bimeſtre tempus conceſſum.

Omnes Canonici indifferenter ſeruire tenentur omnibus diebus Dominicis, & feſtis de præcepto, totoque Aduentus, Quadrageſimæ, & Octauæ Corporis Chriſti tempore; alijs verò diebus ſaltem dimidia pars 1588.

Aquila 26. Iulij 38. 1596. Caſtellaneta 16. Septembris 90. 1602. Andria 5. Februarij 15.

Canonici tenentur intereſſe concioni, & in Quadrageſima, ſub pœna priuationis diſtributionum illius diei 1580. Como 10. Maij 97. 1602. Caſtellaneta 20. Auguſti 93.

Deputati à Ciuitate pro gubernio Monialium permitti poſſunt dummodo ab Epiſcopo confirmentur, & non ſint perpetui 1582. Reggio 16. Ianuarij 23. Regulariter tamen Ius non competit Ciuibus, nec quibuſcumque Laicis, etiam Principibus nominandi AEconomum pro regimine Monialium, nec in eo ſe ſe ingerere. 1616. Reggio 29. Ianuarij 19. 1645. Città di Caſtello 6. Octobris 120. 1650. 23. Septembris 1.

Porta Clauſuræ nullis omninò aperiatur, niſi pro introducendis perſonis, vel rebus neceſſarijs, quas Rota non capiat 1593. Como 16. Martij 118. 1594. Città di Caſtello 10. Ianuarij 19. 1604. Perugia 4. Maij 34. 1650. Recanati 15. Iulij 50. Nec vnquam aperiatur occaſione collocutionis, ſeu viſitationis, neque pro Matre, vel Sorore 1576. fol. 47. 1604. Parma 26. Ianuarij 9. 1619. nullius Altamura 5. Iulij 238. 1655. Peſaro 24. Ianuarij 2.

Decreto del Concilio di Trento al cap. 21. della ſeſſ. 22. contro quelli, che occupano Beni Eccleſiaſtici; con vna parte della Bolla in Cœna Domini.

SE l'auaritia, radice di tutti i mali, occuparà di modo l'animo di alcun Chierico, ò Laico, di qualunque dignità riſplenda, anco Imperiale, ò Regia, che preſuma per ſe, ò per altri, con forza, ò con timore, oueto ancora per ſuppoſte perſone di Chierici, ò Laici, ouero con qualſiuoglia arte, ò procurato colore conuertire in proprij vſi, & occupare, & impedire,

che

che non ſi riceuano da coloro, à cui di ragione toccano le giuriſdittioni, beni, cenſi, e ragioni, anco feudali, & enfiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qualſiuoglia conueniente, che ſi debbano conuertire in neceſſità de'miniſtri,e poueri d'alcuna Chieſa, ouero di qualunque beneficio ſecolare,ò regolare, di Mõti di Pietà, & altri Luoghi pij: queſto tale ſoggiaccia alla maledittione,e ſcommunica maggiore, ſin tanto, che haurà intieramente reſtituito alla Chieſa, e ſuo Ammministratore,ò Benefitiato le giuriſdittioni,beni, robe, ragioni, frutti, rendite, le quali haurà occupato, ouero in qualſiuoglia modo, anco per donatione di ſuppoſita perſona, gli ſaranno peruenuti alle mani; e di poi haurà ottenuta l'aſſolutione del Pontefice Romano. E ſe ſarà padrone della medeſima Chieſa ſia eſſo oltre all'altre pene, priuo del Ius patronato.

Et il Chierico, che ſarà ſtato fabricatore di queſto ſcelerato inganno,e di tale occupatione ne ſarà ſtato conſentiente, ſoggiaccia alle medeſime pene, e di più reſti priuato d'ogni ſorte di beneficio, e ſia fatto inhabile à qualunque altro beneficio, & anco doppo l'intiera ſodisfattione, & aſſolutione ſi ſoſpenda dall'eſſecutione de'ſuoi ordini ad arbitrio del ſuo Ordinario.

Parte della Bolla in Cœna Domini intorno all'iſteſſa materia.

E Scommunichiamo ancora, & anathematizziamo quelli, ch'vſurpano le giuriſdittioni, frutti, rendite, e prouenti appartenenti alla Sede Apoſtolica, & à qualſiuoglia perſona Eccleſiaſtica, per ragione di Chieſe, Monaſterij, & altri Beneficij Eccleſiaſtici, ouero per qualſiuoglia occaſione,ò cauſe ſenza eſpreſſa licenza del Pontefice Romano, impongono collette,

decime, taglie, preſtanze, & altri peſi alli Chierici Prelati, & altre perſone Eccleſiaſtiche, ò à i loro beni, ò delle Chieſe, Monaſterij, & altri beneficij eccleſiaſtici, & à frutti, rendite, e prouenti di quelli, e con diuerſi eſquiſiti modi le riſcuotono, ouero l'accettano anco da chì gli le dà, e concede ſpontaneamente. Eſtendendo il tutto anco contro quelli, che in qualſiuoglia modo ardiſcono eſſeguire, procurare, ò dar nelle predette coſe, conſiglio, aiuto, ò fauore, con la riſerua dell'aſſolutione alla Santità ſua, come più amplamente nella detta Bolla.

LAVS DEO.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

CAp. 1. *De Fide Catholica, eiuſque Doctrina, & Profeſſione.* pag. 7.
Cap. 2. *De Hæreticis, & Iudæis.* pag. 9.
Cap. 3. *De Verbi Dei prædicatione.* pag. 10.
Cap. 4. *De Sacramentis in genere.* pag. 11.
Cap. 5. *De Baptiſmo.* pag. 12.
Cap. 6. *De Confirmatione.* pag. 14.
Cap. 7. *De Sacramento Pœnitentiæ.* pag. 15.
Cap. 8. *De Sacramento Ordinis.* pag. 21.
Cap. 9. *De Celebratione Miſſarum.* pag. 29.
Cap. 10. *De Sanctiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento.* pag. 32.
Cap. 11. *De Sacramento Matrimonij.* pag. 36.
Cap. 12. *De Sacramento Extremæ Vnctionis.* pag. 38.
Cap. 13. *De Vita, & Honeſtate Clericorum.* pag. 41.
Cap. 14. *De Capitulo, Præpoſito, & Canonicis.* pag. 44.
Cap. 15. *De Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo*

Colle-

Collegiatæ Montoni. pag.47.
Cap.16. *De Eccleſiarum Collatione, Parochis, & aliis curam Animarum habentibus.* pag.48.
Cap.17. *De Eccleſiarum Bonis, & Iuribus conſeruandis.* pag.52.
Cap.18. *De Monte Pietatis, & Hoſpitali Proiectorum, ſeu Miſericordiæ.* pag.59.
Cap.19. *De Sacroſanctis Eccleſiis, & reuerentia eis debita.* pag.60.
Cap.20. *De Confraternitatibus Laicorum.* pag.63.
Cap.21. *De Confraternitatum Capellanis.* pag.68.
Cap.22. *De Eccleſiaſtica Immunitate.* pag.69.
Cap.23. *De diebus feſtiuis, & Ieiunijs.* pag.72.
Cap.24. *De Indulgentijs.* pag.75.
Cap.25. *De Proceſsionibus.* pag.75.
Cap.26. *De Sepulturis, & Defunctorum exequijs.* 76
Cap.27. *De Sacris Repreſentationibus, Tragœdijs, & Comœdijs.* pag.78.
Cap.28. *De Quæſtoribus Eleemoſynarum.* pag.78.
Cap.29. *De Cantoribus.* pag.79.
Cap.30. *De Canonico Pœnitentiario.* pag.79.
Cap.31. *De Præbenda Theologali, & Conferentia Caſuum Conſcientiæ.* pag.80.
Cap.32. *De Vicario Generali.* pag.81.
Cap.33. *De Vicarijs Foraneis.* pag.82.
Cap.34. *De Foro Epiſcopali.* pag.83.
Cap.35. *De Cancellaria.* pag.84.

Cap.

Cap. 36. *De Conferentia Caſuum Conſcientiæ per Diœceſim.* pag. 85.
Cap. 37. *De Sanctimonialibus.* pag. 87.
Cap. 38. *De Seminario Clericorum.* pag. 91.
Cap. 39. *De Concubinariis, & Meretricibus.* pag. 94.
Cap. 40. *De Pœnis.* pag. 96.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Errori occorſi nella Stampa.

Nel fol. 8.	lin. 3.	cumante	*leggi*	ante
Nel fol. 10.	lin. 14.	minimi		minime
Nel fol. 13.	lin. 29.	infra		vltrà
Nel fol. 16.	lin. 18.	habeat		habeant
Nel fol. 63.	lin. 18.	ſe poſitis		ſepoſitis
Nel fol. 89.	lin. 4.	ad eamque		adeoque
	lin. 4.	neque		eamque
	lin. 5.	eas		eam

VA1 1528204

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL
VITT E
16
I
2